mis genita parentibus, ſic quoque prudentiæ, modeſtiæ, virtutis denique omnibus titulis illuſtriſſima. In hanc etiam laudis partem veniunt liberi tui, quorum indoles præſtantiſſima quæque pollicetur, quorum vitam ac mores tam piis atque ſanctis formaſti inſtitutionibus, ut etiamſi multum per Præceptores cum bonos, tum doctos, in quorum diſciplinam impenſis maximis eos tradere non dubitaſti, profecerint: in bonis moribus & artibus, per te ex pueritia in ſolidam, conſtantem, multarumque rerum præcocem, & præmaturam ſenectutem pueri pervenerint. Sed vereor ne ambitioſior nimiusque in te laudando videar, atque dum veritati ſtudeo, apud quempiam in adulationis ſuſpicionem deveniam: hæc eſt enim hujus ſeculi hominum, vel ignoratio, vel malitia, ut omnia, quæ de aliquo prædicantur, in aſſentationes, vel fabulas contorqueant. Abundantia certe viſque mei in te amoris propter ſummas, & excelſas tuas virtutes, non ſinit de tuis innumerabilibus, atque præclariſſimis geſtis conticeſcere; quæ etiam laudibus non perſequar, ipſa fama, quæ quotidie fida, & locuples eſt tui nominis

nis

nis nuntia , clariſſima voce apud omnes gentes res a te tum fortiſſime geſtas, tum ſapientiſſime pronuntiatas prædicabit. Sed quo ad rem inſtitutam redeam, interim, dum vigiliarum majorum de Artificioſa Juriſprudentia libros ego meditor, ſub tui nominis atque amplitudinis patrocinio, De Magiſtratuum Officio in cauſis capitalibus decidendis libellus in vulgus emergat: in cujus editione abunde mihi fructum eſſe relatum arbitrabor, ſi illum tibi eſſe gratiſſimum ſenſero, hominesque illum tibi tanquam Prætori integerrimo atque innocentiſſimo a me dicari cognoverint. Qui enim ſuas vigilias aliorum nomini conſecrant, id faciunt, quo vel eorum gratiam ineant, vel a calumniis, & obtrectationibus, quibus hoc tempore genus hominum laborat, opus ſuum vindicent, vel ad ſtudium rei propoſitæ eos, ad quos ſcribunt cohortentur, in quo genere ſunt αἱ παραίνεσεις, vel ut de rebus præſtantiſſimis libros viris præſtantiſſimis dedicent, in quo genere id conſequuntur, ut tam ex ſuis ſcriptis, quam ex illis, quibus hæc deſcribunt, exempla, reique probationes ſumantur. Quorum ſententiam optimo cuique

que eſſe probandam puto ; ſic enim bonos laudant, & aliis paradigmata, quæ imitentur digniſſima, proponunt. Quod mihi contigiſſe magnopere gaudeo: nam hoc tempore non habebam, cujus virtutem juſtius vel commendarem, vel aliis proponerem, maxime in re tam laudabili neceſſariaque deploranda. Sunt enim noſtris temporibus omnia ferme depravata: per quæ ne ſingillatim diſcurram, de Juriſprudentia ſane habeo multa, quæ fere ſine lacrymis queri non poſſum: eſt enim præſtantiſſimis ingeniis dolendum, quod tanta diſciplina, ſine qua vita noſtra nulla eſt, tam male, tamque negligenter tradatur, ac tam inconditorum interpretum ineptiſſimis gloſſis inquinata jaceat. Sed quid hæc, quæ minima ſunt, commemoro? Quæ enim tanta eſt ſupplicii atrocitas, quæ ulciſcatur perditiſſimos homines, qui bonorum, atque induſtriorum virorum in hoc ſtudio caſtigando, & ſuæ integritati reſtituendo operam non tantum rident, calumnianturque publice, ſed ſcriptis quoque reprehendunt? metuunt enim fortaſſe ne ex illa diligentia, atque inſtauratione, impoſturæ ſuæ, quibus miſeram juventutem miſere circum-

cumveniunt, detegantur, & ſic non modo nullum lucrum percipiant, verum etiam in maximam inopiam redacti fame pereant. Sunt & alia vitia innumerabilia, quæ recte nullus nec oratione explicare, nec mente capere poſſit. Mea tamen ſententia non tantum incommodi ex omnibus, quantum ex una judiciorum corruptela hominibus datur: quod ex ea impunitatis expectatio naſcatur, ex qua quid mali non gignitur. Unde rapinæ, doli, cædes, latrocinia, perjuria, furta, adulteria, ſtupra, inceſtus, parricidia, & ceteræ ſcelerum ſpecies? Quæ vis effecit, ut in Gallia annis ſuperioribus, atque hoc tempore tot ærumnas ſentiamus? At videre eſt bonum, ſimplicem, annoſum atque egentem agricolam domi vices ſuorum deplorantem, & patrimonium a parentibus ſibi relictum, atque partas a ſe toto ætatis decurſu res, cauſſis abſumptas, alterique a corrupto judice adjudicatas querentem. Me etiam vehementiſſime miſeret muliercularum viduarum, & pupillorum, quorum fortunas mali judices (quos ob id Heſiodus δωροφάγυς appellat) male ac injurioſe partim devorant, partim etiam potentiſſimis dicant: tantum ſane poteſt

poteſt aut gratia, aut affinitas, aut cupiditas, aut metus, ceteraque, quibus hodierno die judicia corrumpuntur, in quo liceat cum illo leges araneorum telulis comparare, quas ſi tranſire tentent infirmæ muſcæ, mulctantur: contra, validæ impune diſſipant, nec minus certe vere quam ille poeta cecinit:

Dat veniam Corvis, vexat cenſura Columbas.

Quod tamen calumnioſe dictum nolim quiſpiam putet: plane enim compertum habeo, quanta ſit factitatum diligentia a Chriſtianiſſimo Rege noſtro Henrico, omnibuſque Senatunm ordinibus, ut ex æquo, & bono judicia conſtituerentur, atque ipſa δίκη (ut antiquitus pingebatur capite velato, nudo corpore) dextera gladium, ſiniſtra lancem geſtaret. Sed nimis multa. Faxit Deus Optimus Maximus, ut brevi omnia melioribus inſtitutis temperentur, vetuſque judiciorum integritas ſuo ſplendori reſtituatur: quod facile fiet, ſi incorruptorum Prætorum (inter quos juſtiſſimis de cauſſis ſemper habitus es) exemplum mali ſibi proponant, atque præ ceteris rebus æquitatem ducant. Accipies igitur libellum iſtum a

Roge-

Rogeraio tuo, tuique pariter amantiſſimo, & ſtudioſiſſimo ea humanitate atque animi candore, quo domi tuæ plurimis ampliſſimiſque beneficiis cumulatiſſime ornaſti. Quod ſi feceris, magnas ad mea in te ſtudia feceris acceſſiones, & meam in literis, & ſcriptis auxeris plurimum in modum diligentiam. Valetudini tuæ diligenter inſervi, omnemque meam operam, ſtudium, cogitationem, mentem denique omnem tuæ jam ampliſſimæ laudi, atque honori conſecratam eſſe puta. Bene Vale. Lugduni. Quarto Calendas menſis Junii.

Digitized by Google

DE VARIIS

JUDICIS

APPELLATIONIBUS.

TITULUS PRIMUS.

JUdicare, unde & Judex, & Judicium, & Judicatum deſcendit, quandoque pro æſtimare accipi apud Juriſconſultos manifeſtum eſſe poteſt his, qui in illorum libris evolvendis inſudarunt. Sed & Imperator in hac ſignificatione uſus eſt. Sic apud Horatium, Judex rerum pro æſtimatore ponitur eleganter. Et judicare de re aliqua gravius, ſic dictum reperimus Budæo adnotante, ut gravius ſtatuere. Judicare, pro condemnare, ut apud Ciceronem uſurpatur frequentiſſime: ita judicatus pro condemnatus apud Juriſconſultos. Dicitur autem

In l. Hac edictali, §. His illud, C. de ſec. nupt.

L. 2. Sat. 7.

In l. Si pro aliquo, ad

SCtum Vellejan. & l. Grege, de pignor.

tem Judex, quaſi jus populo dicens, ſive quod jure diſceptet. Jure autem diſceptare, eſt juſte judicare, hoc eſt, unicuique quod ſuum eſt tribuere. Quod officium eſt Judicis. Dicitur & Judex animatum jus, meſodicus autem græce, quaſi mediarius latine, & a medio, & jure compoſito vocabulo. Quoniam qui medium conſequitur, is jus ſuum obtinere videtur, ut inquit Budæus. Judex, juſtitiæ Antiſtes etiam appellatur a quibuſdam. Hunc ergo ſeu juſtitiæ Antiſtitem, oportet eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos, nocenteſque immiſericordem, atque inexorabilem, erectumque, & arduum, & potentem, vi, & majeſtate æquitatis, veritatiſque terrificum: nam & ſic idem Budæus depinxit. Interdum tamen etiam improprie uſurpatur. Judicem quoque Magiſtratum appellamus, generali ſcilicet nomine. Nam Magiſtratus apud Pomponium ſignificat omnes, quibus judicandi functio commiſſa fuerat: non ut jus conſtituerent, ſed ut id quod conſtitutum eſſet, dicerent, quaſi viva vox Juris Civilis.

In l. Jus civile, de juſt. & jure.

L. penult. de arbitris.

In l. 2. de orig. juris.

L. nam & ipſum, de juſt. & jure.

QUID

QUID SIT
JUDEX.
TITULUS SECUNDUS.

VIdeamus nunc rei ipſius ſignificationem, quid ſit Judex. Quo in genere non imitabimur illos, qui nimium altercando veritatem adeo amittunt, ut ipſi quid ſcribant, prorſus ignorent. Verum eos nobis exemplo proponemus, qui populari genere ſermonis, & velut pingui Minerva tractationes ſuas explicant, efficiuntque, ut non longe a vulgi intellectu poſitæ videantur. Et certe non aliter judicem intelligere poſſumus, quam ſi communem ſenſum ſæpe conſulamus, & cogitemus ad quem uſum fori præceptiones de Judice pertineant. Sic itaque definiamus Judicem:

JUdex eſt vir bonus, juris dicendi, & æquitatis ſtatuendæ peritus, ſumma quadam ratione ad id muneris publica auctoritate vocatus. Judic. is defi-nitio.

Excutiamus vim, & poteſtatem hujus definitionis.

Vir.) Exploſa eſt magnoque totius Reipublicæ Chriſtianæ emolumento pridem Socratis apud Platonem ſententia, civitatem inſtituentis, in qua fœminæ non minus quàm viri, poſſent nulla non ex parte, Rempublicam adminiſtrare. Ulpianus. Fœminæ ab omnibus officiis vel civilibus, vel publicis remotæ ſunt, & ideo nec judices eſſe poſſunt, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec Procuratrices exiſtere. Paulus quoque ait, non omnes judices dari poſſe, ſed quaſdam perſonas impediri lege, quaſdam moribus, & nonnullas natura. Moribus, inquit, ut fœminæ, & ſervi, non quia non habeant judicium, ſed quia receptum eſt, ut civilibus non fungantur officiis. Neque enim ſexus modo quod pleriſque legibus teſtatum eſt, denegat illis hujuſmodi functionum exercitium, ſed etiam judicii muliebris fragilitas, & inconſtantia. Varium enim, & mutabile ſemper fœmina. Ob eamque cauſam majores noſtri (ut M. Portius Cato apud Livium dixit) nullam, ne privatam quidem rem agere fœminas, ſine auctore voluerunt, ſed in manu eſſe paren-

De regu. juris antiqui. Civile officium judicare, publicum poſtulare.

Virgilius.

parentum, fratrum, virorum: hoc veriti, ne cum pares eſſe cœpiſſent, mox ſuperiores evaderent. Quo reſpiciens Papinianus ait: Fœminarum conditionem in multis juris noſtri articulis, deteriorem eſſe quam maſculorum. Vir igitur, non autem fœmina judex erit. Quanquam quid refert (inquit Ariſtoteles) utrum mulieres ipſæ gubernent, an eos, qui gubernant, a mulieribus gubernari? Sane hodie nullam judiciorum capitaliorem peſtem exiſtere arbitror. Quid enim, amabo, non excogitant? quid non moliuntur? quid etiam non perficiunt, ut Judices, & Magiſtratus, quibus matrimonio junctæ ſunt, a veritate abducant? hoc nimirum ut magnificis, ſumptuoſiſque veſtibus ornentur. Et in hæc tempora miſeri nunc devenimus, ut ſi nobis cum aliquo ſit negotium, liſque inſtituta, plus donis mulieribus exhibitis commoveantur Judices, quam æquitate, ſinceraque conſcientia juris reddendi. Et dormiunt principes, conniventque. Idem dicendum eſt de Impubere, ut nec Judex eſſe poſſit. Sed de Adoleſcente magna eſt quæſtio, & controverſia. Qua in parte neceſſe eſt contra receptam hactenus interpretum omnium ſententiam pugnare, ab eaque omnino deflecte-

In Politicis.

Adoleſcens an Judex eſſe poſſit.

Digitized by Google

flectere. Quanquam profecto ſatis perſpicio, quam durum pleriſque omnibus videatur, a communi, receptaque ſententia diſcedere; nec dubito, quin temeritatis plenum primo guſtu judicetur, ab iis præſertim, qui (ut Plinius junior ait) numerare magis, quam ponderare ſententias didicerunt. Quod utut eveniat parviſacio, apud quem plus ſemper vera ratio ponderis eſt habitura quam vulgi, hoc eſt, indoctorum, & barbarorum opinio. Amicus certe Bartolus, amicus Jaſon, amiciſſimi omnes interpretes, magis autem amica veritas. Videamus igitur & ex mente Juriſconſultorum, a qua diſcedere vel latum quidem unguem, præſertim in rebus bene, & ex utilitate, commodoque Reipublicæ totius conſtitutis impium, ab omnique penitus humanitate alienum ſemper duxi, quid hac de re cenſendum ſit. Atque ita mehercule Calliſtratus. Cum lege Julia cautum ſit, ne minor viginti annis judicare cogatur; nemini licere minorem viginti annis compromiſſarium Judicem eligere. Et Ulpianus de minoribus vigintiquinque annis loquitur in hunc modum. Cum inter omnes conſtet fragile eſſe, & infirmum hujus ætatis conſilium, & multis captionibus ſuppoſi-

Amica veritas.

De receptis arbitris.

L. 1. de minorib.

poſitum, multorumque inſidiis expoſitum, auxilium eis Prætor hoc edicto pollicitus eſt, & adverſus captiones opitulationem. Et poſt paulo. Et ideo in hanc uſque ætatem, adoleſcentes curatorum auxilio reguntur, nec ante rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamvis bene rem ſuam gerentibus: niſi videlicet veniam ætatis impetraverint; quæ tamen non cuiquam temere, ſed cum exacta cauſæ cognitione concedi debet: ac non alias niſi impleto vigeſimo ætatis anno. Quid quod minori vigintiquinque annis, ſive agatur, ſive conveniatur, dari curator poteſt, imo etiam debet, ſiquidem cauſa ſit criminalis, ne (prout textus habet) ex ſua imperitia, vel juvenili calore, aliquid vel dicat, vel taceat, quod ſi fuiſſet prolatum, vel non expreſſum, prodeſſe ei poterat, & a deteriore calculo eum eripere? Ulpianus etiam apertius fortaſſis alio loco hoc totum negotium breviuſque perſtrinxit: Ad Rempublicam adminiſtrandam ante vigeſimumquintum annum, vel ad munera, quæ non patrimonii ſunt, vel honores, admitti minores non oportet. Minores denique nec decuriones creantur, nec creati ſuffragium in curia ferunt. Non

Judices Rempublicam adminiſtrant? Non gladii poteſtas, qua boni tuendi, mali reprimendi, Reipublicæ retinendæ pars eſt vel potentiſſima, magiſque præcipua? Vana ſunt ergo hac in parte noſtrorum interpretum commenta, affirmantium adoleſcentem judicem dari poſſe. Sed hoc generale quidem, & perpetuum non eſt, nec eo inficias duobus eum caſibus judicem eſſe poſſe; modo ſit in plena conſtitutus pubertate. Nam & ſi id alicubi præſcripta ſit conſuetudine receptum, judex erit. Extat enim de ea re Calliſtrati reſponſum his verbis: Nonnunquam etiam longa conſuetudo in ea re obſervata, reſpicienda erit, quod etiam cuſtodiendum Principes noſtri, conſulti de eligendis in ordine Nicomedenſium hujus ætatis hominibus reſcripſerunt. Deinde etiamſi quem princeps ſciens, ac prudens, Judicem eſſe velit, etiam minorem vigintiquinque annis, recte eſſe poterit. Hunc enim princeps legibus ſolviſſe intelligitur: eamque certa principis ſcientia vim habere dicitur: Quomodo etiam Ulpianus loquitur, ut inferius dicemus, ne quis falſo in legibus noſtris antinomiam eſſe putet.

Doctorum error.

Bo-

Bonus.) Bonum generale nomen eſt, honeſta pariter, atque utilia complectens. Bonitas etiam frequenter pro clementia, & miſericordia uſurpatur, ut apud Ciceronem: *Nihil eſt tam populare, quam bonitas. Nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior miſericordia eſt*. At nos bonitatem quandam pleniorem expetimus, nempe eam, quæ ex generali juſtitia naſcitur, ex qua bonos viros dici ait Cicero. Unde conſtat non perinde eſſe dicere bonum judicem, & bonum virum. Bonus Judex etiam dicitur, qui exequens eſt ſui officii, hoc eſt, qui juſtitia particulari non abutitur, id quod etiam vir non ex aſſe bonus, præſtare poſſet: quomodo etiam dicimus, bonum agricolam, bonumque colonum. Nos autem de viro bono quærimus, qui perfecti Judicis nomen ferre poſſit: quo certe nomine dignus non quiſquam alius erit, præter eum, qui nullius expers virtutis fuerit. Cicero: *Omnes bonos ſemper beatos volumus eſſe*. Quos dicam bonos, perſpicuum eſt, omnibus enim virtutibus inſtructos, & ornatos, tum viros bonos dicimus. Si qua defuerit, nec plane vir bonus, nec Judex perfectus dici poterit. Non enim perfe-

Bonum.

Bonitas.

Bonus vir, & bonus Judex differunt.

Perfectum.

ctum quicquam, quo melius eſt aliud: ut Cicero de perfecto Oratore loquitur, & nos de perfecto Juriſconſulto dialogum brevi edemus. Hunc autem articulum quanquam non ita omnino ad vivum exigant noſtri juris auctores, ſed viros bonos numerent eos, non qui optantur; ſed qui in uſu, vitaque communi habentur: accedunt tamen quam proxime ad ſcopi hujus in Judice noſtri inveſtigationem: dum boni viri appellatione Judicem intelligunt. Venulejus: Cum ita ſtipulatus*ſim, Epheſi dari, ineſt tempus: quod autem accipi debeat, quæritur: & magis eſt, ut totam eam rem ad Judicem, id eſt, ad virum bonum remittamus. Ulpianus: Prætor ait, arbitratu Judicis, utique quaſi viri boni, utilem modum verberum imponat. Idem: Mala medicamenta & venena veniunt quidem in hoc judicium, ſed Judex omnino interponere ſe in his non debet. Boni enim, & innocentis viri officio eum fungi oportet.

Appellatione boni viri quid Juriſconſulti intelligant.

Juris dicendi, et æqvitatis statuendæ peritus.) Judicis peritia, & ſapientia, duobus conſtat: ſi conſtanter, & pure de jure certo pronuntiaverit: & ſi ſubtiliter de jure controverſo quod æquum bonum eſt

Judicis peritia quibus conſtet.

eſt conſtituerit. Nam ut olim Juriſconſultis noſtris data auctoritas erat, de jure vario reſpondendi, quorum omnium interpretationes, legis vicem obtinebant: ſic etiam judicibus credita eſt poteſtas, ambigua, obſcura, pugnantia, æqua lance diſcernendi, ac judicandi. Sed quomodo? Ut imprimis illud obſervet, ne aliter judicet quam legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus, hoc eſt, legitima, & juſta, non penitus iniqua conſuetudine proditum ſit, ne omnia ſibi licere ex arbitrio, & permitti arbitrentur magiſtratus. Eſt enim certus quidem ordo juris tam in cognoſcendo, quam in judicando cognitu neceſſarius, de quo eleganter Oldendorpius noſter. Et quia non poſſunt omnia nominatim legibus comprehendi, multa relinquenda ſunt prudentis Judicis religioni, qui ex æquo, & bono, probabilique naturalis rationis judicio, & expenſis rei, de qua agitur, circumſtantiis jus dicet: ut primum intueatur legis ſcriptæ regulam, deinde eam accommodet præſenti negotio, atque hic quidem proprie verſatur ars illa æqui, & boni. Recte itaque Tullius pro Fontejo. In rebus, ait, judicandis non minimam partem ad unamquamque rem æſtiman-

§. Reſponſa prudentum, de jure naturæ, gent. & civ. & l. 2. de orig. jur.

§. 1. de offic. Judicis.

In Inſtitutionibus forenſibus, in princ.

L. Neque leges, cum ll. ſeq. de legib.

mandam, momentoque ſuo ponderandam, ſapientia Judicis tenet. Ceterum ſi unius alicujus legis generale præceptum paſſim, nullo rerum, ac circumſtantiarum diſcrimine ſequi deberet Judex: non eſſet in Judice ulla ſapientia deſideranda: nec etiam alius alio judice melior exiſtimandus. Unum erit enim & ſimplex aurium, vel oculorum judicium, & promiſcue ſtultis, ac ſapientibus a natura datum, ut eſt apud eumdem Tullium. Hucque pertinet reſcriptum Imperatoris Conſtantini: *In judiciis potiorem eſſe rationem æquitatis, quam ſcripti juris.* Sentit enim, Judicem in cognitionibus cauſarum hunc ordinem ſervare debere; ut expenſis rei propoſitæ circumſtantiis, ex quibus æquum & bonum poteſt conſtitui, adhibeat ſcriptas legum formas, ſed cum delectu, nempe ut ſequatur æquiſſimam, & rei propoſitæ convenientiſſimam, & ubi principaliter jus ſcriptum non loquitur, probet conſentaneam ſcriptis legibus rationem; potius quam alienam quamdam ſummi juris regulam. Quod ſi Judex aliter, atque certo jure conſtitutum eſt (circumſtantia nihil variante) verbis expreſſis, vel per relationem ad acta pronunciaverit, non modo nulla erit ſententia, ſed ſuam

In l. Placuit, de judiciis, C.

ſuam quoque dicetur facere litem, cum, ut Juriſconſultus ait, facti quidem quæſtio ſit in poteſtate judicantium, juris autem auctoritas non ſit. Porro certi, apertique juris appellatione, etiam receptas cujuſque regionis, non plane iniquas, conſuetudines contineri puto. Penitus autem iniquam appello eam, quæ vel lege eſt improbata, vel nulla certa ratione fulcitur, omninoque naturæ duci repugnat. Itaque Judex non minus perperam judicaſſe, litemque ſuam feciſſe dicetur, ſi contra conſuetudinem notoriam pronunciaverit, quam ſi contra jus legitimum, certum, & indubitatum. Nam ſi patria conſuetudo ſit notoria, nihil eſt quo ſe Judex purgare queat, opprimetur enim Quinti Mutii reſponſo: Turpe eſt patritio, & nobili viro, & cauſas oranti, jus, in quo verſatur, ignorare. Hæc ſupra dicta omnia non ignoravit Cicero, duo tantum univerſi juris civilis genera eſſe demonſtrans, quod in cognitione alterum, alterum quod in interpretatione conſiſtit. Cum multa, inquit, præclara majorum, tum quam optime conſtituti juris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio, atque interpretatio. Priori generi, quaſi materia, quam tractet, & in qua ver-

Certi juris appellatione quid veniat.

In l. 2. de orig. juris.

In Officiis. **Civilis Juris duo tantum genera ex Cicerone.**

verſetur, ſubjectum eſt jus legitimum, quod certum, & apertum Cicero appellat. In his enim potiores judicis partes ſunt, cognoſcere, & quod cognitum eſt judicare: tum enim ſi recte judicatum ſit, id fuit jus quod judicatum eſt. Poſterius autem genus verſatur circa jus incertum, & controverſum, quod latens bonum, & æquum dicitur. Et de cognitione quidem, ut una ex præcipuis judicii ſubſtantia (quanquam formularii non aſcribant) pauca dicenda ſunt. Nam de interpretatione prolixe alibi diximus. Meminiſſe autem oportet, omnem judiciorum vim, & poteſtatem, ſtatim atque lis eſt conteſtata, judicum humeris incumbere coram Deo, & hominibus. Juſtæ autem cognitionis duæ ſunt partes. Altera ut perſpectam habeat judex cauſam cum circumſtantiis. Altera, ut celeriter eam definiat: quia ad officium ejus pertinet lites dirimere, ut dicit Julianus. Prioris autem cognitionis partem feliciter abſolvet, ſi utatur ſæpe interrogationibus de his, quæ neſcit. Cognoſcere enim id dicimur, quod antea non ſcivimus. Proinde alieni facti circumſtantias neque citius, neque commodius inveſtigare licet, quam interrogando. Quamobrem ſapientiſſimi

Partes Judicis in jure certo.

Lib. 2. contracta Juriſprudĕtiæ, qui de Ambiguitatibus inſcribitur.

Juſtæ cognitionis duæ partes.

In l. Quidem exiſtimaverunt, ſi cer. pet. condict.

Cognoſcere, quid ſit.

ſimi legiſlatores interrogationes adeo frequentes eſſe voluerunt, ut apud omnes æque magiſtratus fierent. Ulpianus: Qui in jure (inquit) interrogatus reſpondit, ſic accipiendum eſt: apud magiſtratus Populi Romani, vel Præſides Provinciarum, vel alios Judices. Jus enim eum ſolum locum eſſe, ubi juris dicendi, vel judicandi gratia conſiſtat, vel ſi domi, vel in itinere hoc agatur. Audin hæc verba domi, vel in itinere, Ulpianus ibidem: Ubicumque (ait) judicem æquitas moverit, æque oportere fieri interrogationem dubium non eſt. Macer item refert, Marcum, & Commodum ſic reſcripſiſſe: Si vero (ut plerumque adſolet) intervallis quibuſdam ſenſu ſanior eſt: num forte eo momento ſcelus admiſerit, nec morbo ejus danda ſit venia, diligenter explorabis. Et, ſi quid tale compereris, conſules nos. Ex quo loco, & multis aliis, qui facile a nobis adduci poſſent, niſi ſimplicitati, & brevitati, quæ eſt legum amica, ſtuderemus, ſole clarius adparet, ac bonis judicibus facile perſuadebitur ad cognoſcendam in judicio cauſam plus conferre unam interrogationem Judicis, quam viginti poſitiones (ut vocant) & articulos litigatorum. Nam

Judex

In l. Voluit Prætor, de interr. actio.

Vide differentiam apud Bartol. inter jus dicere, & judicare, in l. 1. de juriſdict.

In l. Divus, de offic. Procons. & Leg.

Interrogationis magna utilitas in cauſis cognoſcendis.

Digitized by Google

Judex interrogando, ſcopum intentionis, vel defenſionis ſtatim poteſt attingere. At partes evitant verum cauſæ ſcopum, & ſolum id nituntur, quomodo digreſſionibus, mendaciis, & multitudine articulorum imponant judici. Quocirca errant tota via noſtri judices, qui putant loco interrogationum ſucceſſiſſe poſitiones, & articulos partium: ipſi interim ſedentariam exercentes functionem, prorſus obmuteſcunt, tantum recipientes ſcripta, & decernentes (ſicut formularii dicunt) copias productorum. Poſteriorem vero partem officii ſui judex recto expediet tribus modis: videlicet, jurejurando, tranſactione, ſententia. Primum autem omnium debet parare animos diffidentium ad tranſigendam futuram, aut cœptam litem. Quod ut eo commodius fiat: ipſe Judex honeſtiſſimam hanc operam ſubibit, non ſine maximo fructu. Nam audiendo ſummatim cauſam, facilius intelliget totum controverſiæ ſcopum, & uter jure ſit ſuperior. Et de Jurejurando quidem Cajus libro tertio ad edictum provinciale in hunc modum: Maximum remedium expediendarum litium in uſum venit Jurisjurandi religio: qua vel ex pactione ipſorum litigatorum, vel ex auctoritate judicis decidun-

Error Judicum.

L. 1. de Jurejur.

duntur controverſiæ. Paulus vero libro decimoctavo etiam ad Edictum ſic: Jusjurandum ſpeciem continet tranſactionis, majoremque habet auctoritatem, quam res judicata. De tranſactione lex inſignis Imperatoris Philippi. A. ad Apollophaniam his verbis conſuta: Fratris tui filiis de paterna ſucceſſione, ac ſtatu etiamnum contra fidem ſanguinis, itemque placitorum, quæſtionem inferre, parum probe poſtulas, nullus etenim erit litium finis, ſi a tranſactionibus bona fide interpoſitis cœperit facile diſcedi. P. P. pridie Calend. April. Peregrino, & Miliano Coſſ. De ſententia, ſeu re judicata Modeſtinus: Res judicata, inquit, dicitur, quæ finem controverſiarum pronunciatione judicis accepit, quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. Quis autem hac in parte non videt, imo quis non perfectiſſime agnoſcit perniocioſiſſimos errores, quibus noſtra ſubſellia ſcatent. Ceterum ſi curioſis eſſe placet (neque enim ſtudium hoc inutile cenſetur) de reformandis, ac bene conſtituendis cauſarum cognitionibus: primum omnium curare oportet, ut veluti profluentis aquæ rivuli, a capite purgentur vitia. Caput autem omnium magiſtratuum, & aliorum,

L. 2. d. tit. [illegible]

In l. Fratris, C. de tranſact. Vide etiam tit. Pandect.

In l. 1. de re judi.

Caput magiſtratuum

Sunt publicæ ſcholæ.

rum, qui in foro, & ſacroſancta juſtitiæ officina verſantur, ſunt publicæ ſcholæ, in quibus ſic erudiri debent ſtudioſi, ut veram æquitatis artem, quæ exercenda poſtmodum ſit, percipiant. Expoliri enim debent ſolida doctrina, non diſtrahi altercationibus juvenum ingenia. Nihil ſane profuerit de ordinis judiciarii præſcripto, de cautelis, ceteriſque apicibus diſputare, niſi hoc prius oſtendatur ſtudioſis, quomodo ille ipſe proceſſus pro varietate cauſarum deminuendus ſit ad finiendas lites, & controverſias. Sed ad alia pergentes quo facilius definitio intelligatur, de qua æquitate loquamur, ſubjiciamus, ejuſque ſpecies, & uſum quantum ad propoſitum ſatis ſufficere poſſe videri poterit. Nam latius Libro primo Contractæ Juriſprudentiæ omnia attigimus. Id autem facilius fiet, ſi paulo altius repetentes, & pauca de ſtricto, ſummoque jure deguſtemus æquitati contrario. Nemo eſt qui non in ore habeat æquitatis verbum, ſed quis rem ipſam percepit unquam? Nemo non dicit, præſtabo quod æquum, & juſtum eſt. Interim tamen ſi unum, aut alterum interrogaveris, quid ſit æquitas, audies, quam eam materiam parum intelligant plerique. Adeo rara eſt hujus

Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt.

jus ſtudii exercitatio, in qua tamen longe magis profuerit verſari, quam in vanis inutilium rerum diſputationibus. Strictum jus, quod alias ſummum jus dici ſolet, duobus modis intelligitur. Altero proprie, cum leges ſcriptæ nimis ſevere, ac ſine ullo temperamento, aut trahuntur per interpretationem ad caſus ſimiles; in quibus tamen ratione circumſtantiarum eſt aliqua diſſimilitudo, aut in caſu, de quo loquuntur, nimis durus ſenſus extorquetur. Quandoquidem enim propter varietatem negotiorum, neceſſarium erat legem in univerſum loqui de iis tantum, quæ frequenter accidunt. Nec comprehendi poſſent omnes factorum articuli, ut Pomponius, & Julianus reſcripſerunt. Ideo ſuccedit æquitas, per quam conſtanti voluntate in hujuſmodi caſibus nominatim, ac principaliter non comprehenſis, deliberandum eſt, quid pronuntiandum fuerit. Latiſſimum eſt ergo æquitatis officium: quoniam interpres eſſe debet omnium legum, ſcilicet ut ſine vitio accipiantur, & cum opus eſt, flectantur ad leniorem ſententiam. Idque eſt quod Modeſtinus eleganter ut cetera omnia memoriæ prodidit. Nulla (inquit) juris ratio, aut æquitatis benignitas pati-

Strictum jus dupliciter intelligitur.

In l. Jura, l. Neque leges, l. Non poſſunt, de legib.

Æquitas legum interpres.

In l. Nulla, de legib.

tur : ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem. Tales autem præduros interpretes *ἀκριβοδικαίους* recte appellant. Et Menander eleganter: Leges (inquit) optimæ ſunt, ſed qui nimis eas acute inſpiciunt, fiunt ſycophantæ. Hæc ſunt Menandri verba, quæ continent utiliſſimam admonitionem, ſi dextre intelligantur, experientia enim oſtendit ſæpe rectiſſima dicta in ſcripturis, legibus, pactis, fœderibus, & contractibus mirifice depravari. Propterea quærenda eſt ſemper principalis ſententia, de qua lex loquitur, deinde ubi circumſtantiæ diverſæ ſunt, quærenda eſt diſpenſatio, ut infra dicemus. Altero modo, ſummum jus improprie dicitur, cum fraus fit legi, hoc eſt, cum ſalvis verbis legis, ſententia ejus circumvenitur, quod fit aut detorquendo eam ad impertinentia, aut eludendo ratione Sophiſtica. Exempli gratia. Si quis legem hanc: Ne quis invitus agere, vel accuſare cogatur: alleget ad defenſionem calumniatoris, qui cum aliquandiu adverſarium ſuum ſine cauſa in jus vocatum, damno adfeciſſet, non fuerit proſecutus judicium, ut dicit Juſtinia-

nianus . Item ſi quis leges, quæ vim inferre vetant, voluerit duntaxat interpretari de eo, qui neque corpus, neque bona alterius lædat, & non latius porrigere, certe is ex ſummo jure fecerit ſummam injuriam: ſicut graviſſime decrevit Marcus Imperator: Extat enim (ait Calliſtratus) decretum Divi Marci in hæc verba: Optimum eſt, ut ſi quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Et cum Martianus inde diceret: Vim nullam feci: Cæſar dixit, Tu vim putas eſſe ſolum, ſi homines vulnerentur? Vis eſt & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit. Audis, quam hæc interpretatio longe diffideat a præcedente, quia plena eſt æquitatis? Thraces pacti inducias dierum aliquot, noctu populabantur Boetiam, ut narrat Strabo. Athenæus narrat Iphiclum, cum Rhodii deditionem feciſſent, ita, ut cum certo numero navium abire ipſis liceret, impoſuiſſe eos in naves ſine remis, & velis. Apud Xenophontem Critias eludit defenſionem Theramenis hac fraude: Lex erat ne quis tunc Athenis eorum, quorum nomina in Catalogo ſcripta erant, interficeretur, niſi re judicata. Cum igitur Theramenes ſe audiri petit juxta

Novell. de litig. §. Omnem vero.

In l. Extat, quod metus cauſa.

ta legem, facilis, inquit, Critias, correctio eſt, delebo nomen ejus in Catalogo, ita lex ad eum nihil pertinebit. Sed cum Theramenem hac eluſione Critias perdidiſſet, ipſe aliquanto poſt a Traſybulo interfectus, pœnas Sophiſticæ dedit. Ergo eleganter Cicero: Exiſtunt etiam (inquit) ſæpe injuriæ calumnia quadam, & nimis callida juris interpretatione. Ex quo illud: Summum jus, ſumma injuria, factum eſt jam trito ſermone proverbium. Sed hoc quidem modo improprie jus dicitur, nam pugnat cum jure ut Paulus, & Ulpianus ſentiunt. Æquitas autem, quam alias æquum, & bonum, alias æquum, & juſtum, alias æquum, bonum ſine copula dicimus, alias denique ἐπιείκειαν vocant, eſt mitigatio legis ſcriptæ in aliqua circumſtantia, utpote rerum, perſonarum, ac temporum. Jus eſt (inquit Donatus) quod omnia certa, & inflexibilia exigit. Æquitas eſt quæ ex jure multum remittit. Exempla ſunt Prætorum edicta. Quid enim aliud eſt reſtituere in integrum, quam laxare juris ſcripti rigorem? Marcellus eleganter: Divus Antoninus (inquit) Marcio Avito Prætori, de ſuccurrendo ei, qui abſens rem amiſerat, in hanc ſententiam reſcripſit: Etſi nihil faci-

Critiæ mors.

Lib. Offic. 1.

In l. Contra legem, & ſeq de legib.

Æquitas quid.

In l. penult. de in integr. reſtitut.

facile mutandum eſt ex ſolemnibus, tamen ubi æquitas evidens poſcit, eſt ſubveniendum. Totum autem Jus Civile plenum eſt id genus exemplis, quæ ut legamus, & inveſtigemus, niſi deſit voluntas, non tam magni negotii fuerit. Verum, ut noſtro ſeculo in negotiis multifariam emergentibus, prudenter imitemur, hoc opus, hic labor eſt. Quare florida juventus, cui traditur Civilis diſciplina, frequenter exercenda eſt in hoc æquitatis ſtudio, ut ad cenſendi gravitatem potius quam ad nimiam diſputandi levitatem manuducatur. Ex his apparet ſummum jus, & æquitatem, differentia quidem eſſe, ſed non diverſi generis. Nam æquitas, jus eſt, non illud quidem lege ſcripta comprehenſum, ſed præſtantius, meliuſque. Porro, cum æquitatem dicimus, ipſam juris medullam, germanamque juſtitiam intelligimus, quam nullo ſcripto comprehendere, ſed cenſendo duntaxat adſequi poſſumus. Nihil enim eſt, quod ad omnem humanitatis rationem propius accedat, quam æquitas. Unde & magnam vitæ privatæ partem regit, quia in hac infirmitate hominum, non poteſt eſſe tranquillitas, niſi multa condonemus publicæ paci, & mutuas moleſtias le-

Summum jus, & æquitas, differentia, ſed non generis diverſi.

Æquitatis appellatione quid.

Æquitatis uſus maximus.

niamus noſtra commoditate, ſicut Chriſtus præcipit in exemplo ablutionis pedum. Itaque in privatis offenſionibus extra caſum defenſionis ſemper licere debet juxta regulam: Remittite, & remittetur vobis, obliviſcamur offenſionum. Item: Ambigua non flectamus in partem deteriorem, ut faciunt malevoli, & ſuſpicaces, ut video colloquentem cum inimico. Ergo ſuſpicor & illum eſſe inimicum. Habeamus ſemper hanc juris, & æquitatis dulciſſimam diſtinctionem, ut fugiamus hæc vitia: crudelitatem, cui ſæpe prætexitur ſpecies ſummi juris, & indulgentiam, cui prætexitur interdum nomen æquitatis. Sunt enim duæ virtutes vicinæ, ſeveritas, ſeu rigor juris, & æquitas, ac utriuſque extremæ ſunt crudelitas, & indulgentia. Præterea conſtat ex prædictis, quod æquitas in ſcriptum redigi non poteſt, quanquam jus aliquod de caſu ſpeciali ad æquitatem redactum, poſſit ſcripto comprehendi. Æquitatis enim ratio ex ſola animi, & judicii deliberatione, ſecundum negotiorum formulas dependet. Et quandoquidem rerum humanarum viciſſitudo non ceſſat, & incerta manet, ideo nec uſus æquitatis certo fine deſcribi poteſt. Quamobrem tota errant via, pariterque oſtendunt ſe vim, & poteſtatem boni, &

Æquitatis ratio unde.

Error interpretum in diviſione æquitatis.

& æqui non intelligere, qui dividunt æquitatem in ſcriptam, & non ſcriptam, ſed magis qui inter eas diſtinguunt, fingentes pugnare inter ſe, ſcriptum jus, & ſcriptam æquitatem, quorum neutrum probari ulla ratione poteſt. Rectius ergo Scævola. De acceſſionibus (inquit) poſſeſſionum, nihil in perpetuum neque generaliter definire poſſumus, conſiſtunt enim in ſola æquitate. Et Papinianus. Nam ut Pomponius, inquit, libro 12. epiſtolarum ſcripſit, difficilis eſt hujus rei definitio. Divus quoque Pius Tullio Balbo reſcripſit: an mora facta intelligatur, neque conſtitutione ulla, neque juris auctorum quæſtione decidi poſſe: cum ſit magis facti, quam juris, q. d. facti circumſtantiam primum quidem diſcernere oportet. Deinde ſecundum æquitatis regulam quæſtionem juris diſſolvere. Infinita ſunt id genus exempla, in quibus non antea de jure quærendum fuerit, nec quicquam deſcribi poteſt, quam caſus eveniat. Quid ergo? Inanis erit, & ſuperflua interpretum diviſio? Sane ſi æquitatem actu, & ſpecialiter perpendamus, ut hic perpendere neceſſe eſt, nulla eſt ſcripta, cum de caſibus hodie incidentibus nulla ſcribi potuerit definitio ſpecialis ante, quam eveniſſent.

In l. de acceſſionibus. de diverſ. & tempo. præſcript.

In l. Mora fieri, in princ. de uſuris.

Æquitas ſimplex eſt, nec dividitur.

ſent. Nec minus ergo ridicula eſt Duareni, & recentiorum, qui hoc putantes ſe evitare, in naturalem, & civilem dividunt. Quid enim aliud eſt civilis illa, de qua loquitur, quam ſcripta ea a Bartolo, aliiſque veteribus excogitata? Eſt ergo æquitas ſimplex, neque dividi poteſt: a nobis in hunc modum definita, ut ſit nonnulla a jure civili, & ſcripto declinatio a ſumma quadam ratione petita, propter circumſtantias incurrentes. Nec enim quælibet cenſura, & opinio hominis eſt pro æquitate recipienda (quid enim unuſquiſque non ſibi ſomniaret?) ſed ea tantum, quæ ex certa rationis formula procedit. Ea autem eſt duplex. Altera communis, ſeu naturalis, cui omnes homines velint nolint adſentiri conſcientia coguntur, propter apertam veritatem, quam Deus inſculpſit cujuſque animo. Sic enim Apoſtolus probat in nobis eſſe legem naturæ, a qua petitur infallibile judicium, quod vocat conſcientiam. Altera vero ratio eſt civilis, quæ ex recepta legislatorum auctoritate proficiſcitur, vel ex diuturnis moribus conſenſu utentium adprobatis. Ceterum ne hic erres, non oportet civilem rationem, prorſus a naturali recedere, multo minus

In l. 1. de pactis.

Æquitatis nova definitio.

Ratio duplex eſt.

Roman. 2.

L. de quibus, de legib. §. Conſtat autem, & §. Sine ſcripto, de jure natu-

minus illi repugnare. Alioqui quomodo æquitas aliqua ex ea colligi poſſet? Sed hæc ex uſu facilius cognoſci poſſunt. Primum, impoſſibile eſt omnes caſus ſcriptis legibus complecti, etiamſi totidem promulgentur, quot nunc extant: multo minus omnes circumſtantiæ caſuum poſſent deſcribi. Ita Julianus, qui etiam multis in locis admiratur hanc rerum varietatem cum Juſtiniano, quoniam exemplo plerumque didicit neceſſariam eſſe a legibus declinationem. Et tametſi de teſtamentis plurima ſcripſiſſet antiquitas, adeoque pleni legum codices extarent, tamen fatetur Juſtinianus aliquid evenire, quod aut novam legislationem, aut ab ea declinationem ſecundum naturæ conſequentiam, hoc eſt, ſecundum æquitatem, deſideraret, deinde plurima eveniunt, quæ nullo modo deſcribi, aut in rectam legislationem redigi poſſunt, quoniam ex circumſtantiis plane mutabilibus, non ex re aliqua conſtante naſcuntur. Exempla propemodum ſunt infinita, præſertim in cognitionibus Judiciariis. Interim unum videamus. Calliſtratus ſic: Quæ argumenta ad quem modum probandæ cujuſque rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt. Ulpia-

re, gent. & civil. l. Jus civile, de juſt. & jure.
Uſus æquitatis.

In l. non poſſunt, de legib.

Novell. de his, qui ingred. ad appell. §. illud etiam.

Novell. de triente, & ſemiſſe.

In l. 3. §. Ejuſdē quoque de teſti.

In l. Quo enim, §. 1. Rem ratam habe.

pianus. Si tempus nec minimum, nec maximum a Judice ſtatui oporteat, non eſt quod ex ſcripto aliquo petat formam, quia magis intellectu percipi, quam elocutione exprimi poteſt. Item: Si diſceptatio ſit inter litigatores, utrum uſufructuarius præſtiterit ea, quæ diligens paterfamilias in re ſua præſtare ſolet id, quod in cautionem de uſufructu deducitur, non eſt quod ex ſcripto jure petatur certa definitio. In his igitur conſulenda eſt æquitas, incorrupto animi judicio: exigenda tamen ad præceptiones, ſeu regulas, ſaltem generaliter ſecundum naturæ rationem a prioribus, ne a veritatis ſcopo nimium aberremus: quam Juſtinianus ſapientiam gubernativam recte appellat. Hinc vides æquitatis uſum, & in legislationibus, & in judiciis etiam nunc eſſe maximum, ac omnibus modis neceſſarium, ut interim ſciamus nullam omnino juris interpretationem recte fieri, non adhibita boni, & æqui cenſura. Unde fit, quod Venulejus judici tribuit arbitrium boni viri. Cum ita inquiens ſtipulatus ſim Epheſi dari; ineſt tempus: quod autem accipi debeat, quæritur & magis eſt, ut totam eam rem ad judicem, aut virum bonum remittamus, qui

L. 1. uſufr. quemadmo. cave.

Novel. neq. vir quod ex do neque mul.

In l. Continuus, §. Cũ ita, de verb. obligat.

qui æſtimet quanto tempore diligens paterfamilias conficere poſſit quod facturum ſe promiſit. Et Papinianus: Verumtamen (inquit) quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione judicantium. Hinc quoque contractus bonæ fidei dicuntur, ex quibus ſimplici quadam ratione boni, & æqui, abſque ulla ſubtilitatis diſputatione præſtanda ſunt etiam ea, quæ non fuerunt nominatim inter contrahentes dicta, ſtricti vero juris, anguſtis finibus concluſi, nihil admittunt, quam cujus facta eſt mentio ex mente interpretum, de quo alias. In ſumma qui rationem, atque exercitationem boni, & æqui ignorat, is ſane in diſcernendis humanarum functionum circumſtantiis, maximam juris partem ignorat. Eſt enim jus ars boni, & æqui teſte Ulpiano. Quo nomine ego ſoleo apud omnes commendare quantum poſſum Joannem Menſacalium primum apud Tholoſates ſummo Dei beneficio, totiuſque populi chriſtiani commodo, Præſidem, ut æquitatis ſummum inter omnes, quos ego viderim obſervatorem, & de quo idem, quod de Servio illo Sulpitio ſcriptum reliquit Cicero, dici poteſt, eum non magis juris, quam juſtitiæ conſultum eſſe.

Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris.

In l. Conſenſu, de actio. & oblig.

In l. 1. de juſt. & jure.

Ad

Judicandi munus publicum, l. 3. ubi quis agere, vel conve. deb.

In tit. de juriſdict. l. 2.

Cic. 1. Offic.

Tit. eſt ad leg. Jul. de ambitu.

Auctor Livius.

Ad id muneris publica auctoritate vocatus.) Hæc definitionis particula duo oſtendit. Primum ſiquidem Judicis poteſtatem non ſolum a Romanis Principibus originem ſuam traxiſſe, ſed a natura, & Deo ipſo eſſe. Quod ſatis oſtendit ea etiam definitio Juriſdictionis, quæ ab Accurſio traditur. Deinde ad Judicis perfecti laudem pertinere, ſi non modo citra ambitus ſuſpicionem, ſed & ſine corrogatis ſuffragatoribus, ac ſine ullo munere edito, munus adipiſcatur ampliſſimum. Qua in parte non poſſum verum eſſe fateri, quod fere omnes, qui hanc poſtremam quæſtionem tractarunt, aſſerere non ſunt veriti. Plane enim conſtat miſerrimam eſſe omnino ambitionem, honorumque contentionem, & maxime adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint. Itaque & apud Antiquos lex de Ambitu coercendo, non injuria lata ad populum fuit a Cajo Petilio Tribuno plebis, auctoribus tamen patribus: qua pœna ambientibus irrogabatur exilii, cum infamia. Atque utinam in uſu eſſe nunquam deſiiſſet, vel ſeveriorem etiam aliquando principes ſtatuerent de non emen-

emendis, vendendiſque non ſolum dignitatibus laicis, & civilibus, ſed etiam eccleſiaſticis. Nonne verum eſt quod alter dicebat:

Auro pulſa fides, auro venalia regna?

Ergo multo rectius ille apud Plautum de Ambitione diſputans, inquit:

Virtute ambire oportet, non fautoribus;
Sat habet fautorum ſemper qui recte facit.

Unde quæſo judiciorum conſtupratio, qualem hodie cernimus? Unde olim regnorum tanta labefactatio apud hiſtoriographos traditur? Vel quid etiam privatas amicitias, adeoque omnem civilem ſocietatem diſſolvit? Certe unica, & ſola Ambitio, quæ ſane quamdiu eſt duratura, non video quibus rationibus melius, & felicius conſtitutum regnum ſperare poſſimus. Redeant ergo virtuti ab antiquis Romanis aliquando conſtituta præmia, ſuum obtineat locum inter Reges, & Principes. Ad honores evehantur viri boni, & ſapientes, nonne id ſtatim verum apparebit quod dicebat Plato: Reſpublicas eas felices fore, in quibus regnarent Philoſophi? Sed hodie pro his habemus omninò ignaros, & ineptos, omnium non ſolum legum, ſacroſanctæque Juriſprudentiæ inexpertes; ſed & artium humanarum, totiuſque honeſtatis plurimos,

rimos, optimis, & virtute ornatis in humili loco conſiſtentibus. Sed fortaſſe Deus aliquando ſuorum miſertus his finem imponet, ut aurum, ut adulatio, & ceteræ id genus impoſturæ a comitiis exulent: ſolique hi ad Rerumpublicarum gubernacula admittantur, qui viri boni & habebuntur, & erunt. Interim ad diviſionem Judicum veniamus.

CONCILIATIO PRIMA.

Pugnat cum his quæ ſupra diximus de Adoleſcente, eum videlicet Judicem eſſe non poſſe, non ſolum tota noſtrorum interpretum turba: verum etiam Ulpianus ipſe, afferens ſententiam ab Adoleſcente Judice datam ſuam obtinere firmitatem. Et moventur DD. noſtri hac ratione præſertim, quod cum par ſit periculum de jure reſpondentis Juriſconſulti, & Judicis ex juris præſcripto judicantis, (nam & Speculator male conſulentem non minus litem ſuam facere aſſeruit, quam male judicantem) quæ ætas de jure reſpondendi legitima eſt, eandem quoque & Judici legitimam debere videri. At qui decimumoctavum ætatis annum attigit, & pro aliis poſtulare, & de jure reſpondere poteſt,

L. 7. de re judic.

In tit. de Judice.

poteſt. Nam (ut inquit Ulpianus) moderatam hanc æquitatem Prætor ratus eſt, ad procedendum in publicum, qua ætate, aut paulo majore, fertur Nerva filius de jure reſpondiſſe. Ergo &c. Unde tanta in jure noſtro diverſitas? Unde diſſenſio etiam inter Juriſconſultos? Auſus eſt ſiquidem aliquando publico ſcripto teſtari Tribonianus nullas eſſe in Jure noſtro Civili antinomias. Nec ſunt profecto, niſi eas eſſe putes, quas malo neſcio quo genio impoſtores iſti Gloſſographi vel arrogantiæ, vel quæſtus cupidi conſtituerunt, nec, ne parum multa ſciſſe viderentur, diſſolverunt. Cujuſmodi eſt iſta elegans, & venuſta (ſi diis placet) Ulpiani, & Calliſtrati pugnantia, quæ diſſolutu facilis eſt. Ulpianicum enim reſponſum ajo intelligi oportere de Judice minore viginti annis, non jure communi conſtituto, ſed ex diplomate, ac privilegio principis ætatem non ignorantis. Conſultus ſiquidem fuit Ulpianus, an rata eſſe deberet ſententia Judicis, a principe quidem dati, ſed minoris viginti annis. Ratio dubitandi erat, quod regulariter ejus ætatis homines, a publicis honoribus capeſſendis (cujuſmodi eſſe conſtat judicandi munus) tam ipſius Ulpiani, quam

Tit. Pandect. de poſtul.

Cap. Cum vigeſimum, de officio delegat.

quam aliorum JCrum interpretatione prohiberentur: ſed quia hic minor, a principe ætatem ſciente, datus erat, jam videri poterat, lege communi ex auctoritate principis ſolutus eſſe. Reſpondet Ulpianus, ſive talis Judex datus magiſtratum gerat, hoc eſt, tribunali ordinario præfectus ſit, ſive ex conſenſu partium litigantium electus, & datus a Principe ſit, ejus valere ſententiam. Cujus reſponſi rationem ſubdit: Princeps enim, inquit, qui ei magiſtratum dedit, omnia agere decrevit. Quod autem ad comparationem Judicis, & JCti attinet, hujus de jure reſpondentis, illius ex jure pronunciantis, diſtinguendum arbitror Ciceronis auctoritate; jus certum, & apertum, a vario, & dubio, ſeu controverſo. De Jure certo reſpondens Juris profeſſor, perinde litem ſuam facit, atque Judex contra jus apertum pronuncians. Quod ſi jus varium ſit, ac controverſum, nulla erit (modo ſi dolus abſit) male reſpondentis pœna, cum, Ulpiano auctore, Conſilii non fraudulenti nulla ſit obligatio. At certe Judex etiam ad conſilium illius male reſpondentis de jure vario, non recte pronuncians litem ſuam (quamvis dolo ſemoto) feciſſe dicetur. Quid enim

De regulis juris antiqui.

nim hoc aliud eſt, quam per imperitiam judicare? Non igitur eadem eſt ratio, idemve periculum in reſpondente, & Judicante. Judicis enim eſt ſemper in cauſis verum ſequi: patroni nonnunquam veriſimile.

CONCILIATIO SECUNDA.

Ad ea etiam, quæ de æquitate ſcripſimus, Placere nobis mirum in modum orationem Imperatorum Conſtantini, & Licinii AA. hujuſmodi. In omnibus rebus a Magiſtratibus præcipuam habendam eſſe juſtitiæ, æquitatiſque, quam ſtricti juris rationem. Imperator Conſtantinus A. alio loco ad Baſſum P. V. ſcribens contrariam videtur adferre ſententiam: Sic enim inquit: Inter æquitatem, & jus interpoſitam interpretationem nobis ſolis & oportet, & licet inſpicere. Interpretes hæc ut diſſolvant, mirum eſt, quam ſeſe animi angant: In ſumma præter impertinentia vel habent, & a propoſitis duabus legibus intelligendis longe disjuncta, & argutis diſputationibus materiam hanc tractant. Proinde ſic ſtatuendum eſt: In his caſibus, in quibus leges, & præjudicia majorum habemus, ex ſcripto jure eſt pronunciandum. Quia

Ad Dionyſium in l. placuit, C. de judiciis.

propterea ſcriptæ ſunt leges, ne quis ab eis diſcedens, arbitrio ſuo figat, atque refigat æquitatem, ut Virgilius dixit. Neque vero imaginandum eſt, æquitatis cenſuram deſiderari in his caſibus, de quibus principaliter lex ſcripta ſtatuit. Quis enim credat quempiam hoc ſeculo graviore deliberatione boni, & æqui judicaturum eſſe, quam a Romanis Legislatoribus juſtitiæ conſultiſſimis, factum ſit, in illis ſpeciebus, de quibus nominatim, ac principaliter ſcripſerunt? Itaque jam deſcriptæ leges formam habent optimam, de negotiis nominatim comprehenſis, nec egent cenſoribus: Imo magis obſervatores deſiderant, ac Nomophilaces, quales olim apud Athenienſes erant. Porro Judicis decretum, ſeu pronuntiatio, habet auctoritatem, non quod ſit privata auctoritas (neque enim hoc Judici expediret propter implacabilia condemnatorum odia) ſed quia viva vox juris ſcripti eſt, ut dicit Martianus. In illis vero caſibus, qui nominatim ſcripta lege comprehenſi non ſunt, (quandoquidem omnes comprehendi non potuerunt) ſi ex circumſtantiis facti ſit diſſimilitudo quædam, non admittens ut referatur ad jus ſcriptum, permittitur ſane Judici, ex probabili tamen

In l. nam & hoc ipſum, de juſt. & jure. Ulpianus in l. 2. §. 1. de feriis.

tamen humanitatis ratione, mitigare legem ſcriptam, ab eaque nonnihil deflectere. Sicut enim peritus Medicus non omnium oculis uno collyrio ſolet mederi, Hieronymo teſte. Sic eruditi Magiſtratus, qualitatem rerum, perſonarum, & temporum perpendere debent, quid in hujuſmodi factorum ſpeciebus ex bono, & æquo pronunciandum ſit. Ulpianus eleganter. Non ſemper autem, inquit, conſonans eſt per omnia referri jusjurandum quale defertur, forſitan ex diverſitate rerum, vel perſonarum quibuſdam emergentibus, quæ varietatem inducunt. Ideoque ſi quid tale inciderit, officio Judicis conceptio hujus jurisjurandi terminetur. Et huc pertinet ſolertia, eruditio, & fides, quam Princeps Juſtinianus requirit in adminiſtratoribus Reipublicæ. Sic accipienda eſt lex *Placuit*, de qua ſuperius mentionem fecimus. Siquidem juris ſtricti rationem appellat, non jus ſcriptum, ut quidam putant, ſed præduram, & ab humanitatis regula alienam interpretationem, aut etiam cavillationem Sophiſticam, eorum, quæ lege comprehenſa non ſunt, de quibus ſuperius dictum eſt. Ceterum, ſi quid tam frequenter accidat, & tam magni momenti ſit, ut in le-

xxix. *diſtinctio. cap. ult.*

In l. Jusjurandum, §. penult. de jurejuran.

In proemio Inſtitutionum.

C 3 gem

gem ſcriptam redigendum fuerit, ac natura ſua commode redigi poſſit: tunc ſane opus eſt majore, quam quorumlibet Judicum auctoritate, hoc eſt, Imperatoria, ut recta ſemper interpretatione obſervetur. Quo ſenſu accipienda eſt lex altera, ne legi *Placuit* refragetur. q. d. Si interpretatio boni, & æqui varians nonnihil a jure ſcripto, redigenda fuerit ad formam legis (loquitur enim de Legibus, & Conſtitutionibus) aut ſi implacabilis de lege diſſentio ſit inter majores Magiſtratus, noſtra auctoritate oportet rem definiri. Et ejus rei exemplum habes ex Juſtiniano. Habes ergo ex his conciliationem eorum, quæ pugnare poſſe videbantur: ex qua etiam diſſolvere poteris tritam illam, & tamen nondum a Gloſſographis noſtris intellectam quæſtionem jure ne ſcripto, an æquitate Magiſtratus freti, Judices judicare debeant, quam Ariſtoteles verboſe ſatis, & copioſe tractavit: & nos quoque ex illius mente ſic carmine perſtrinximus ex Stigellio:

In novell. de litigio. in princ. & novella Conſtitutio. quæ ex adſcript. & liber.

In Politicis. Vide etiam Melan. & bonē in Ethi.

Res, populoſque putat qui ſcripto Jure regendos,
Is pariter leges vult regere, atque Deos.

Con-

Contra, qui dominari Hominem ſine lege requirit,
Belluam at is cunctis legibus anteferet.
Namque Magiſtratus gravis ira, & iniqua cupido eſt,
Quæ plerumque bonos deperit ipſa viros.
Ergo vocat legem juſto cognomine mentem
Quæ ſine fraude regat, Magnus Ariſtoteles.

Digitized by Google

JUDICUM DIVISIO.

TITULUS TERTIUS.

- *Judicum alii*
  - *Majores, ut*
    - *Conſul.*
    - *Prætor.*
    - *Cenſor.*
    - *Præfectus Prætorio.*
    - *Præfectus urbi.* — *Additur ad ejus ſimilitudinem Præfectus Ægypti, mox quam venerit in illam Provinciam ſucceſſor.*
    - *Proconſul.*
    - *Præſes Provinciæ*
    - *Provinciæ rector cujuſcunque nominis ſit.*
    - *Propræſes a Principe datus.*
  - *Minores reliqui omnes a majoribus, ut*
    - *Legatus Proconſulis.*
    - *Propræſes a Præſide datus.*
    - *Defenſores Civitatum.*
    - *Magiſtratus municipales.*
    - *Judices Pedanei, vel ut Gellius loquitur,*
    - *Pedarii, Chartularii, & id genus alii.*

Tractant de Magiſtratibus hujuſmodi in prima parte Pandectarum Juriſconſulti, Impp. vero lib. XII. C. Ceterum de illorum ordine, & inventione in urbe Romana Pomponius eleganter in l.2. de orig. jur. & ibi diximus in notis ad primam partem Pandectar. Vide doctiſſ. virum Aymarum Rivallium in Hiſtoria Juris; qui liber non ſatis poteſt commendari, propter antiquitatis, quæ in eo relucent, veſtigia. Atque utinam Juriſconſultorum hujus ſeculi facile Principis Æmilii Ferreti doctiſſimos de ea re Commentarios haberemus. Is enim, ut audio, magno omnium Juris ſtudioſorum fructu omnia Juriſconſultorum reſponſa ita clara reddidit, ut ſi ſemel exeant, quotquot ſumus opera in ſcribendo noſtra ſimus abuſuri. Quod omnes viri boni debent mecum ab illo crebris literis extorquere.

Aulus Gellius in Noctibus Atticis, M. Meſſalæ Auguris commendationem proferens inter cetera eum hujus diviſionis Judicum laudat, quanquam illi quicquam a nobis etiam additum eſt.

Hic

Hic ſiquidem libro primo de Auſpiciis, majores magiſtratus hos tantum eſſe docuit, Conſules, Prætores, Cenſores: reliquos cenſeri minores: ſequentibuſque rationibus diſtare, quod majores, centuriatis, minores curiatis comitiis crearentur. Erant autem (ut hic obiter moneam) Curiata comitia, quæ per tribus, & curias ſine delectu per populum ferebantur: Centuriata autem, quæ per eos, qui cenſu, & auctoritate prævalebant. Erant ergo curiata comitia, popularium, centuriata optimatum. Deinde etiam hoc differre, quod majorum majora eſſent auſpicia, minorum minora. Majorum autem Magiſtratuum dici, quod eorum auſpicia magis rata eſſent, quam aliorum. Neque tamen majorum Magiſtratuum omnia inter ſe eadem, aut ejuſdem poteſtatis eſſe, ideo quod collegæ non ſunt Cenſores Conſulum, aut Prætorum. Nam Prætor etſi collega Conſulum eſt, minus tamen imperium Prætor, majus habent Conſules. Sed de Centumviralibus quæritur quo in gradu ponendi ſint. Nam & hi (ut inquit Cicero) de compluribus cauſis gravioribus cognoſcebant, nempe de cauſis Uſucapionum, Tutelarum, Gentilitatum, Agna-

Agnationum, Alluvionum, Nexorum, Mancipiorum, Parietum, Fluviorum, Stillicidiorum, Teſtamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium. Sed hos verius eſt fuiſſe velut partes, & quaſi membra Prætoriæ poteſtatis quantum ex epiſtola quadam Plinii ad Ruffum colligi poteſt, ac ſine Prætore illos, aut nullum, aut perexiguum imperium exercuiſſe. Quod Paulus ſubindicare videtur, cum ait: Ubicumque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur: Errat enim graviſſime Decius hæc verba ad omnes Judices extendens, ut alibi fuſius. Huic quæſtioni affinis eſt & illa, quæ de Prætoribus exiſtit, quo numero habere eos oporteat: quos Judicum appellatione ſecludendos putaverim. Fuit ſiquidem Tribunitia poteſtas, ut Appius Claudius apud Livium recte dicit, non populi, ſed plebis magiſtratus: cujus maxima in prohibendo poteſtas erat: Uno enim prohibente nihil alii, etiamſi complures ſint, efficere poſſunt. Poſſemus in hanc rem multa ſubjungere, quæ interpretes noſtri cum de hac materia inveſtigant, more ſuo verius effutiunt, quam eloquuntur, niſi a teneris annis

In l. Ubicumque de reg. jur.

Lib. 3. Contractæ Jurisprudentiæ.

niſ id conſtituiſſemus, Veritatem in omnibus rebus primum: Deinde ſimplicitatem ſequi, omiſſis omnibus quæſtionibus curioſis. Accedit etiam deliberatio de locupletando libello, ſi gratum doctis viris fuiſſe, vel fama rerum nuncia, vel alicujus ſcriptum ſubindicarit.

Digitized by Google

ALIA JUDICUM DIVISIO.

- *Judicum alii*
  - *Ordinarii*
    - *Et hi ſunt, apud quos legis eſt actio, quæ vox duo ſignificat. Nam alias in privato, dicitur Permiſſus legis ad perſequendum id quod ſibi debetur: Alias in magiſtratu vocatur ordinaria poteſtas, vel executio juriſdictionis. Sic enim videntur interpretari Modeſtinus, & Ulpianus. J.C. Horum non æqualis omnino natura, poteſtas, aut juriſdictio. Quidam enim majus, quidam minus imperium, aut etiam ſimplicem habent juriſdictionem.*
  - *Delegati* — *Judex pure delegatus ex Reſponſo Juliani ubi ordinarium definit cognoſci poteſt quis dicatur. Eſt enim is qui juriſdictionem non ſuo jure, ſed alieno beneficio habet.*
    - *Horum alii*
      - *A fortuna, ſeu culmine Imperiali dati.*
        - *Et a ceteris differunt, quod poſt eorum (Principum) mortem, juriſdictionem adhuc retinent, cum alioquin juriſdictio nomine proprio delegantis conceſſa, eo mortuo evaneſcat.*
      - *Simplici appellatione principis delegati.*
        - *Hi aut ad unam, aut alteram cauſam dati ſunt, & horum major eſt dignitas, quam ordinariorum. Nam & is peculiariter perſonam principis dicitur referre.*
      - *Ex ſacra juſſione dati.*
        - *Vide Alciatum noſtrum in Paradoxis.*
      - *Pedanei, &*
        - *Hi dicuntur, qui non a Principe, ſed alio Judice ordinario, ad unã cauſam dati ſunt, vel etiam ad plures tenues, & exiles. Eſt Titulus C. de Pedaneis Judicibus. Vide Budæum in Pandectis.*
  - *Delegati ſed ordinariorum ſimiles.*
    - *Ut Legatus Proconſulis, & alii, quibus mandata eſt juriſdictio, hoc eſt, qui ad complures cauſas delegati ſunt, his enim proprie dicitur mandata juriſdictio.*

Judex

Judex quæſtionis.
Latrunculator.
Judex Civilis.
Judex Criminalis.
Judex Militaris.
Judex innominatus.
Judex rei privatæ.
Recuperatores.

Et ex recentioris ſatinæ verbis.

Ex variis qualitatibus varia etiam ſunt, & pene infinita nomina, vel ſpecies.

Judex competens.
Judex incompetens.
Judex Appellationum.
Judex Nullitatum.
Judex Reſtitutionum.
Judex Secularis.
Judex Eccleſiaſticus.
Limitaneus.
Alii item permulti, quibus recenſendis tibi nomenclatore ſit opus.

Notus eſt titulus apud Juſtinian. ſi a non competenti jud. C. Papinianus in l. tale pactum, de pactis §. 1. Vide Zaſiũ in l. quidem exiſtimaverunt, ſi cer. pet.

JUDI-

JUDICIS OFFICIUM
QUID, ET QUOTUPLEX.
TITULUS QUARTUS.

HActenus, quidem quantum potuimus & breviter, & dlucide de Judice, ejuſque partibus diximus. Nunc de ejus officio quid ſit, & quotuplex pauca etiam ſuccincte adnotanda ſunt. Ad id ſane multum luminis attulerunt Supremæ Pariſienſis Curiæ & eloquentiſſimi, & Juris peritiſſimi Advocati duo Longovalius, & Gillotus, poſt quales viros erunt (non dubito) qui meum hic ſilentium magis fuerint laudaturi: ſed & erunt alii fortaſſe, qui ſymbolum meum hic quoque conferri cupiant, quibus ſane mos eſt gerendus: Nam malo hac, quam illa parte peccare, cum & momis illis id ex Comœdia poſſit reſponderi, nullum eſſe jam dictum quod non dictum ſit prius. Quare æquum eſt eos cognoſcere, atque ignoſcere, quæ veteres factitarunt ſi faciunt novi. Officium autem

tem Judicis (ut ad rem perveniamus) ſic recte definias . Officium Judicis eſt jus , quod ad dirimendas lites , tollendaque gravamina , quomodolibet ſecundum æquitatem exercetur : ut per hoc omnium tranquillitati privatim , & publice conſulatur : Quandoquidem vero in tanto negotiorum mundo , Judex officium ſuum variis modis exercet : etiam ab Interpretibus , & Gloſſographis varie diviſum reperies . Et Bartolus quidem putat triplex eſſe officium Judicis : videlicet , nobile , mercenarium , & adverſarium . Hunc multi alii ſequuti ſunt . Nos duplex tantum ſtatuimus : Nobile , quod nos merum verius dicimus , & ornatius ; & Mercenarium . Officium nobile eſt , quod Judex ſua , hoc eſt juriſdictionis auctoritate exercet , etiamſi nulla proponatur actio : & interdum motu proprio , nemine petente . Siquidem Judex , ſeu Magiſtratus eſt animata lex : Jus enim cum mortua litera deſcriptum ſit , producitur in forum viva quadam Judicis exercitatione , cum juſtitiam adminiſtrat , cum diſtribuit unicuique ſuum . Quare Juſtinianus exemplo Juriſconſultorum tractans de officio Judicis , rectiſſime ſic incipit : Et quidem in pri-

Officium Judicis quid ſit.

Bartoli diviſio inepta, & redundans.

Vera diviſio.

Officiū merum , quod nobile vocant.

In tit. de officio Judicis.

primis illud obſervare debet Judex; ne aliter judicet, quam quod legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt: In ſumma quicquid olim Reges, anteaquam actionum formulæ eſſent, manu expediebant, & quicquid hodie principes pro negotiorum qualitate, non audito adverſario nonnunquam conſtituunt: id recte dixerimus officium magiſtratus nobile. Et ſic manum intelliges, hoc eſt, merum, ſeu nobile officium. Nam & Reges illi plerique optimi, leges naturæ ſequebantur, non violentiam teſte Bartolo. Item interdictum ſi volueris intelligere quod olim eſſet: memento fuiſſe officium Judicis nobile, hoc eſt, mandatum, ſeu inhibitionem ſollemnem. Denique cautiones nunc officio judicis expediuntur ſicut olim. Mercenarium autem officium eſt, quod actioni deſervit, metaphora ab obſequio famulitio ducta. Quemadmodum enim is, qui operam ſuam locat, bona fide, & libens eam præſtat, nec alio modo, quam dominus præſcribit. Ita Judex actionibus in judicium productis, aut producendis, impartit officium ſuum ultro quidem, ſed nonniſi ad normam actionis: eaque ceſſante, ceſſat.

In l. 2. de orig. juris, novus intellectus.

In l. Frater a fratre, de condict. indeb.

Officium mercenariū.

L. Ædiles, §. item ſciendum, de ædilit. edict.

LE-

LECTORI BENEVOLO

JOANNES ROGERAIUS

TROCHÆUS PARISIENSIS

S.

CUm ſtatuiſſemus nihil edere niſi quod ad leges eſſet, hoc eſt, e puriſſimis Juriſconſultorum fontibus, conſtantiſſimiſque ſententiis hauſtum, relictis deſultoriis Commentatorum noſtrorum adſertionibus, idque quantum ad propoſitam materiam ſatis ſufficere poſſit: Obſervavimus Marcellum Juriſconſultum legem elegantiſſimam de officio Judicis in cauſis capitalibus decidendis poſteritati reliquiſſe: quæ ſane magno omnibus in Republica functionem ſuſcipientibus cum in ſcholis, tum in foro uſui eſſe poteſt. Quapro-

 pter

Digitized by Google

pter ex eo maluimus, quam vel ex nobis ipſis, vel alio quovis Gloſſographo deſcribere. Hanc Notis ex Libris Quindecim Lectionum, quos ſummo labore parturio, & jam recognoſco, illuſtratam, ut æqui, bonique conſulas etiam atque etiam rogo. Quod ſi feceris, tibique hoc opuſculum gratum eſſe aliquo indicio declaraveris, dabo operam ſedulam, ut brevi majora, & inſigniora in lucem, & forum prodeant. Bene vale. Lugduni quarto Calendas Junii.

MAR-

MARCELLUS[1]

LIBRO PANDECTARUM QUADRAGESIMO OCTAVO, TITULO DECIMONONO.

Reſpiciendum[2] eſt judicanti, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa depoſcit. Nec enim aut ſeveritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Plane in levioribus cauſis proniores ad lenitatem judices eſſe debent: in gravioribus pœnis, ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. Furta domeſtica ſi leviora ſint; publice vin-

(1) Imo potius *Marcianus*, ut in Pandectis Florentinis legitur: quarum fides omnibus exemplaribus præferenda eſt.

(2) *Reſpiciendum* lege *Perſpiciendum*, ut ex earundem Pandectarum lectione patet.

vindicanda non ſunt, nec admittenda eſt hujuſmodi accuſatio, cum ſervus a domino, vel libertus a patrono, in cujus domo moratur, vel mercenarius ab eo, cui operas ſuas locaverat, offeratur quæſtioni. Nam domeſtica furta vocantur, quæ ſervi dominis, vel liberti patronis, vel mercenarii, apud quos degunt, ſurripiunt.

Delinquunt autem aut propoſito, aut impetu, aut caſu. Propoſito delinquunt latrones, qui factionem habent. Impetu autem, cum per ebrietatem ad manus, vel ad ferrum venitur. Caſu vero, cum in venando telum in feram miſſum hominem interficit. Capitis pœna eſt, vel beſtiis objici, vel alias ſimiles pœnas pati, vel animadverti.

IN EANDEM LEGEM NOTÆ

Ex Libris Quindecim Lectionum.

RESPICIENDVM EST.) Marcellus in initio hujus legis admonet Judices, & Magiſtratus ſui officii, ut in criminalibus nimirum rebus ſummis tanti momenti cognoſcendis, & judicandis prudentes ſint, & circumſpecti. Non enim alia res majori opus habet diligentia, atque conſideratione, ne quid temere ſtatuas in hominem, de cujus fama, ſanguine, ac vita agitur, cum hæc ſint ejuſmodi, ut ſemel amiſſa poſtea reparari nequeant. Quum autem officium Judicantis per ſe ſatis grave ſit, ac oneroſum, tum quidem in criminalibus eſt multo graviſſimum, ac periculoſiſſimum. Quamobrem monet Marcellus, ut diſpiciat, diligenterque conſideret, & tamquam in omnem partem lumina mentis intendat Judex, ne quid gravius, aut levius decernat, quam æquitas admittit. Nam Judex cauſam bene examinare debet; præſertim in criminali negotio quam diligentiſſime, & nonnunquam inquirere ab iis, qui non producuntur in

L. Carbonianum edictũ, § duæ autẽ, de Carbon. edict.

judicio. Quemadmodum enim in bello peccanti venia non datur, ita ſi de hominis ſalute erretur ſemel, actum eſt de ejus capite, nec iterum eſt errori locus. Ergo reſpiciendum eſſe Judicanti Marcellus ait, hoc eſt, cautim, & circumſpecte agendum, nec quicquam temere ſtatuendum, cum omnino tutum non ſit in rebus periculoſis errare, ſeu labi. Cicero Pomponium Atticum, vel ob id quondam maxime laudabat, quod ab eo nihil unquam viderit temere fieri, præſertim in pronunciandis litibus: quanto hic nos attentiores eſſe oportet Chriſtianos in Chriſtiano ſanguine, aut capite judicando, ne quid temere, aut malitioſe in eum ſtatuamus, cujus ſanguinem de manu noſtra requiret Altiſſimus. Huic enim tandem reddenda eſt ratio adminiſtrati judicii. Siquidem in his magni eſt Judicis, ſtatuere quid quemque ubique præſtare oporteat, ne vel delicta maneant impunita, vel innocentia temere damnetur, aut opprimatur. Dicit enim: Non hominis exercetis judicium, ſed Dei. Et certè magiſtratum, & civilem ordinationem Deus inſtituit ſub ipſum ſtatim creationis tempus, quando poteſtatem tradidit Adæ in ea omnia,

L. 3. quod met. cau. in l. ſi quid, de injuriis.

quæ

quæ in terra, & mari ſunt. Quare & inſignia ejus, omneſque judiciorum cærimonias & videre, & revereri debent omnes: propter ſacroſanctam juſtitiam, quæ ex Deo eſt. Caſum (inquit Ulpianus) dum cæcum utriſque luminibus orbatum Prætor repellit: quod inſignia magiſtratus videre, & revereri non poſſit.

L. 1. §. ſecundo loco. de poſtulan.

JUDICANTI.) Hoc eſt ad quem caſtigatio facinoroſorum ſpectat, ſive ad quem cauſæ delictorum diſcernendæ, definiendæque pertinent ex publica auctoritate. Non enim privatum hoc munus eſt, ſed publicum, a Deo inſtitutum. Et alibi: Ego dixi, vos dii eſtis: hoc eſt, ut doctiſſimus Melancthon interpretatur. Ego vos conſtitui magiſtratus, & judices, meum eſt munus, mea functio, meum judicium, quod exercetis. Et Judicis quidem officium eſt latiſſimum, adeoque jus loquens eſt Judex, quemadmodum eum Ariſtoteles appellat; ſeu, ut alii interpretantur, jus animatum, cujus hæc ſunt verba: ὁ γὰρ δικαςὴς βούλεται εἶναι οἷον ἔμψυχον δίκαιον. Quæ diſerte Cicero reddidit: Ut inquit Magiſtratibus leges; ita populo præſunt Magiſtratus: vereque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem

Deuter. cap. 17.

Lib. 3. de legi.

tem mutum Magiſtratum. Proinde in his gravibus, & periculoſis cauſis, & negotiis caute, ac prudenter agendum eſt: ibi enim magis conſulendum eſſe dicit Ulpianus, ubi majus eſſe periculum intenditur. Nec contemnenda ſunt judicanti, ſed reſpicienda, quæ de hac re circa finem ſuæ Practicæ Hippolitus adducit. Quocirca Judicem eſſe virum bonum judicandi peritum ex Ulpiano definivimus in his verbis. Domino facultas datur præſtare ſervum verberandum: aut ſi de eo verberibus ſatis non fiat, noxæ dedendum, vel litis æſtimationem ſufferendam. Prætor ait, arbitratu Judicis, utique quaſi viri boni, ut ille modum verberum imponat. Eleganter quoque, & præclare Celſus: Bonus Judex inquit, varie, ex perſonis, cauſiſque conſtituet. Quemadmodum & Cicero ingenioſum, peritum, & æquum judicem eſſe vult. In rebus, inquiens, judicandis non minimam partem ad unamquamque rem æſtimandam, momentoque ſuo ponderandam; ſapientia Judicis tenet. Et paulo poſt: Sapiens homo, ac multarum rerum peritus ad res judicandas requiritur, videlicet ad hoc quod ſequitur.

L. 1. §. ſed & ſi quis, de Carbon. edict.

L. ſed & ſi, §. rum ſervus, de injur.

L. in fundo alieno, de rei vendi.

In Orat. pro Fonteio.

NE QUID AUT DURIUS, AUT REMISSIUS.) Eadem pene, & ſimilia ſunt verba Pauli. Et alibi Calliſtratus interpretatur, pro menſura cujuſque delicti conſtituenda. Porro ad medium, ſeu æqualitatem iſta pertinent, quam Judici hoc loco commendat Juriſconſultus. Nam auctore Ariſtotele, ſi quando medium conſequantur homines; jus ſuum ſe putent obtinere poſſe. Ac mediocritatem, quæ ab Homero demonſtrata eſt, maximopere extulerunt Peripatetici. Omnia enim temperata introducit in fortibus viris Homerus. Et Ulyſſes plane rejicit nimia, ac mediocria probat, cum ſe Diomedem valde vel laudare, vel vituperare vetat. Menelaus quoque plane dicit ſe ſuccenſere iis, qui immodico hoſpites vel amore, vel odio proſequantur: modum enim eſſe optimum, ac mediocritatem imprimis præſtandam eſſe in ferendis ſuppliciis, optimique prudentes definiverunt. Et egregia ſunt Ovidii de hac re carmina:

In l. Padius, de incend. rui. naufr.

In l. Divus Pius, ad leg. Cornel. de falſis.

Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipſum),
Sic cadit, ut tacta ſurgere poſſit humo:
At miſer Elpenor tecto delapſus ab alto.
Occurrit regi flebilis umbra ſuo.

Lib. 3. de Triſtibus. Vide etiam 8. Metamorphoſ. de Icaro.

Quid

Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immenſas nomine ſignet aquas?
Nempe quod hic alte, demiſſius ille volabat.
Nam pennas ambo non habuere ſuas.

In Hercul. Œteo. Rectum ergo Senecæ conſilium, & laudabile omnibus videri debet de mediocritate non deſerenda, quam qui deſerunt, malos exitus plerumque habent:

Quiſquis (inquit) medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.
Dum petit unum præbere diem,
Patrioſque puer concitat axes;
Nec procul ſolitum percurrit iter;
Sed Phœbeis ignota ſecat
Sidera flammis errante rota,
Secum pariter perdidit orbem.
Medium cœli cum peregerat iter,
Tenuit latias Dædalus oras,
Nullique dedit nomina ponto.
Sed dum volucres vincere veras
Icarus audet, patriaſque puer
Deſpicit alas, Phœboque volat
Proximus, ipſe dedit ignoto
Nomina ponto.

Quamobrem eleganti figura, atque imagine veteres quondam juſtitiam pinxerunt virginem, in altera manu habentem libram, qua ſignificarent, æquitatem in omnibus ſervandam eſſe, nihilque durius, vel remiſſius con-

conſtituendum , quam res , ut hoc loco dicit Juriſconſultus ; depoſcit . Quod enim æquilibrium eſt in trutina , id ἐπιείκεια eſt in jure . Ac recta incedere Judex debet , non in hanc , vel illam partem inclinare ; ut vel durior ſit , vel remiſſior . Cleonis apud Thucydidem orationem Diodotus inquit ad juſtitiam propenſiorem eſſe in Mytilenæos , utpote ἀκριβοδίκαιμον, ſuam autem mitiorem, ac leniorem μετὰ ἐπιείκειαν . Itaque hujus ſententiam tanquam modeſtiorem , ac tolerabiliorem Athenienſes probaverunt , ac receperunt , Cleonis autem repudiaverunt . Si ergo de homine quæſtio habenda , & veritas tormentis eſt exprimenda , omnino videant Judices , & Magiſtratus , ne quid hic durius conſtituant , ne modum quæſtionis prætergrediantur . Contingit autem ſæpe , ut quem putent ad toleranda tormenta fortem , aut durum eſſe , eoque magis torqueant , in ipſa tortura , aut paulo poſt , ſi modus excedatur , deficiat , intereatque . Contra etiam tanta pertinacia reticendæ veritatis , tantaque tolerantia corporis nonnullos reperias , ut nulla vi , nulloque aculeo ſe vinci patiantur . Itaque in his certam doctrinam dari poſſe difficile eſt : ſed Judi-

Judicem conſiderare oportet hominis robur, duritiam, tolerantiam, firmitatem, & infirmitatem torquendi, & ætatem, valetudinemque ejus perpendere, tum flagitii, ſeu criminis qualitatem, ut quandoque majoribus, quandoque minoribus quæſtionibus utatur. Ac omnino ita moderetur quæſtionem Judex, ut torquendum, aut innocentiæ, aut ſupplicio ſervet integrum, atque incolumem ex mente Juriſconſulti. Idcirco recte hoc loco cavet Marcellus, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, hoc eſt, ut modus, menſuraque retineatur, ac conſervetur. Quemadmodum enim iis, qui per funes in ſublimi extenſos gradiuntur, nequaquam tutum eſt, ut vel huc, vel illuc declinent, ſeu parumper exorbitent, etiamſi id videatur minutum, ſed æquilibrium ipſis eſt tutiſſimum, ita ſe res & in Judice habet. Quocunque enim quis Judex vel propter malitiam, ſeu ignorantiam declinat, nequaquam leve eſt periculum, tam ipſis, quam iis, quibus fit injuria. Ac ideo quemadmodum in via regia incedendum, ac conſiderandum eſt, ne in dexteram, aut ſiniſtram (veluti Parœmia inquit) declinetur, ita & Judicem certa ingredi, ac media via inter

L. 2. § fina. de re milit. l. ſi quis in gravi. § ſubvenitur, ad Sillay.

In l. quæſtionis modo, de quæſt.

inter durius, & remiſſius incedere oportet. Ac tantum onus quidem, opuſque bono incumbit Judici, imminetque. Ut enim in ponderibus ſi alteram tantum lancem oneres, alteram leviorem omnino facias: ſic in judicando, alterius exceſſus neceſſario alterius efficit imminutionem. Altera enim parte ſeu durius, vel remiſſius tractata, vel ſummo jure gravata, vel indulgentia allevata, neceſſe eſt alteram injuria affici. Plane vero differentia eſt hic quoque inter bonos, & malos facienda, boni quidem remiſſe, mali vero, ſeu flagitioſi dure tractandi ſunt: ut eleganter Ulpianus inquit, bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes. Et Solon dicere ſolebat, his duobus, ſcilicet præmio, & pœna, omnem rempublicam contineri: proinde qui bonus Judex haberi vult, eum cum primis conſiderare oportet, ne quid aut durius, aut remiſſius decernat, quam cauſa ipſa poſtulat: hoc eſt, ne bene meritis præmia denegentur, & male meritis juſta pœna non irrogetur. Ergo ut Horatius inquit:

In l. 1. de juſtitia, & jure.

Satyr. 3. lib. 1.

Adſit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas.

Nec

Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

In Hippolyto. Quanquam hodie video veriſſimum Senecæ dictum:

Triſtis vultus perverſa tulit
Præmia certi, caſtos ſequitur
Mala paupertas, vitioque potens
Regnat adulter.

In Phormio. Vide Ovid. epiſt. 14. Heroid. Et his nunc inquit Terentius pretium eſt, qui recta prava faciunt:

Proh ſuperi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent.

L. 1. §. Divus, de quæſtio. Qvam causa deposcit.) Alias Ulpianus dicit, prout cauſa exegerit, quaſi dicat, pro minimis delictis non eſt gravis pœna infligenda. Contra pro gravioribus, atque enormibus flagitiis utique exacerbanda eſt, quemadmodum ipſe Marcellus mox infra eleganter declarat, ubi dicit: Plane in levioribus cauſis proniores ad lenitatem Judices eſſe debere: in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. Cauſa primum, & res ipſa expendenda eſt, & quæ in eam veniant circumſtantiæ ponderandæ. Nulla enim tam alteri ſimilis cauſa ulla eſt, quæ non in aliquibus circumſtantiis variet, ac diverſa ſit. Proinde ut inſulſum eſſet, atque ineptum, parvo pedi

Digitized by Google

pedi magnum velle calceum induere: ita vehementer improbandum eſt, ſi quis leviori crimini majorem pœnam imponeret. Quod vitium etiam in cauſidico reprehendit Martialis, quod is non videret quid res eſſet, quidve cauſa depoſceret, quam ſibi agendam propoſuiſſet. Itaque eum ſic eleganti epigrammate notat, atque illudit:

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abeſſe furto,
Hoc Judex ſibi poſtulat probari.
Tu cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic, poſthume, de tribus capellis.

NEC ENIM AUT SEVERITATIS, AUT CLEMENTIÆ GLORIA AFFECTANDA EST.) Cum omnis affectatio per ſeſe odioſa ſit, tum ea maxime deteſtanda etiam eſt, quæ eſt nimiæ ſeveritatis. Hæc enim facile in crudelitatem, atque tyrannidem degenerat: Adeo ſunt virtutes ſimpliciter vicinæ vitiis, & Græci pravam imitationem κακοζηλίαν vocant, ſervumque pecus imitatores Flaccus appellat. Duo autem vitia ſunt nimium, aut parum, quorum utrumque extremum eſt a mediocritate,

quam

quam omnis omnium ſapientum doctrina commendat. Idem Juriſconſultus hic facit ex Philoſophiæ præceptis, & diſcrimen illud, ſeu virtutem inter ſeveritatem, & clementiam, ſeu inter durius, & remiſſius Ulpianus moderationem vocat, quam de crimine; inquit, cognoſcens non excedere debet. Nam neque ſeverum eſſe, neque clementem ubi non oporteat, Judicis eſt & virtute præditi, & mediocritatem obſervantis. Dices, quomodo hic modus, ſeu mediocritas teneri poteſt? Difficile quidem id eſſe fateor, præſertim in hominibus nulla doctrina aut uſu excultis: ſed quia extremorum alterum gravius peccatum eſt, alterum tenuius, ideo prudentes minus malum eſſe eligendum cenſuerunt, veluti mox infra Juriſconſultus quoque ſubjungit, admonens nos, ut proniores ad lenitatem eſſe debeamus. Accurſius clementiæ vocabulum interpretatur hic pietatem, ego mallem hoc loco, ſeu modeſtiam, ſeu humanitatem, vel moderationem potius appellare. Recte autem ſeveritati Marcellus clementiam opponit, non pietatem, imo interpretatur benignitatem infra, ubi ait, cum aliquo temperamento benignitatis. Sic Seneca quoque hæc duo

L. hodie, de pœn.

Lib. 1. de clement.

duo opponit, inquiens, ſeveritatem abditam, ac clementiam in promptu habeo. Regum eſt, inquit, ac Judicum clementes eſſe, ex clementia enim omnes idem ſperant. Nec eſt quiſquam, cui tam valde innocentia ſua placeat, ut non ſtare in conſpectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat. Hinc Cato ſenior dicebat, Magiſtratum, aut Judicem, nec pro juſtis orandum, nec pro injuſtis exorandum: Senſit, culpam eſſe Judicum, ſi ut juſtis æqui ſint, orandi ſunt, cum oporteat ultro favere bonis. Pro injuſtis orare fortaſſe humanitatis eſt, at exorari eſt a juſtitia deflectentis. Chryſippus item juſtitiæ imaginem expreſſurus, luminibus oculorum ut acrioribus; ita etiam rectis, & immotis pinxit: quo nimirum ſignificaret magiſtratum nullius gratiam præferre debere juſtis legibus, ſed in improbos ſeverum, & inexorabilem, in probos mitem, & manſuetum eſſe oportere: quemadmodum hoc loco pulchre Marcellus ſubindicat, neque ſeveritatis, neque clementiæ, gloriam affectandam eſſe. *Vide Eraſmum lib. 5. Apophteg-ma.*

Sed perpenso judicio.) Hoc eſt cauſa cognita, & bene examinata, ut inter jus, & injuriam dijudicet, atque diſcernat quod proprium eſt Judicum, & Magiſtratuum pro-

 prium,

L. 1. de juſt. & jur.

In l. eo quidem, C. de accuſatio. & inſcript.

In l. Divus Adrianus de cuſto. & exhib. reor.

prium, cujus merito quis eos ſacerdotes appellet. Eadem phraſi utitur Imperator. Verum, inquit, ſi falſis, nec notoriis ſit inſimulatus, perpenſo judicio deſpici debet. Quia Judicis officium, ſeu æſtimatio in cauſis criminalibus, & cognitione earumdem ſe diffundit latiſſime, propter varietatem caſuum, & circumſtantias cujuslibet delicti, ideo bene, ac diligenter perpendere ſingula oportet Judicem, antequam decernat. Perpenſo judicio, id eſt, cauſa cognita, utraque parte audita, erat enim vetuſtiſſima Athenienſium lex, ἀμφῶν ἀκȣ́ειν, cujus Demoſthenes in oratione περὶ στεφάνου, ab initio fere commeminit. Et reſpondet ei verbo, quod ſupra dixit, Reſpiciendum. Græci dicunt ἀνάκρισιν, id eſt, veritatis indagationem, uti apud Juriſconſultum. Et judicium hic nihil aliud eſt, quam juris, & injuſtitiæ dijudicatio. Ac propterea exacta quidem cura, atque diligentia opus eſt, ne ſtateram tranſiliat Judex, quemadmodum Pythagoras monet. Ubi enim de fama, de corpore, ac ſalute hominis agitur, & delictum pœna, ſeu morte mulctandum eſt, neque leviter conſultandum, neque temere decernendum eſt, ſed perpenſo (ut ait Marcellus) judicio

dicio, hoc eſt, ponderata, & examinata re tota, atque negotio, cauſaque omni probe perſpecta. Quemadmodum enim Architecti, ſeu Geometræ inæqualia ſpatia, ſeu opera perpendiculo ſuo ad æqualitatem redigunt, ita Judicem oportet id quod durius, vel remiſſius eſt exacto judicio ad æqualitatem perducere. Adſit igitur oportet cumprimis deliberatio tantis rebus digna, etiamſi ſæpius ſit conſultandum. Præſtat enim maximis de rebus ſæpius conſultari, quam temere quicquam ſemel ſtatuere, præſertim ubi de irretractabili, ut inquiunt interpretes, vel de præjudicio irrecuperabili, velut de habenda quæſtione, vel pœna vitæ imponenda agitur, quominus per iniquum judicium exſorbeatur ſanguis innocentum. Quod ubique vetant cum bonæ leges, tum ſacræ literæ; quæ ſanguinarios concuſſores, & tyrannos execrantur. Hic appello hæreticæ, quos vocant, pravitatis inquiſitores, ceteroſque Magiſtratus omnes, qui pluſquam tyrannica ſeveritate reis defenſorem aliquem non habere permittunt: qui ſi aliquando ſumma Dei bonitate manus eorum evaſerint ſanguineas, quid conſequuntur? Nam & pœna talionis hodie ſublata eſt, & ſumma olim

æquitate introducta inſcriptio : Deus illis mentem meliorem , Anaxandridas apud Plutarchum cuidam ab ipſo ſciſcitanti , quamobrem ſeniores apud Lacedæmonios plures dies ſumerent ad cognoſcendum in cauſis capitalibus , & ſi quis fuerit abſolutus , nihilominus obnoxius ſit legi : Ideo , inquit , pluribus diebus cognoſcunt , quoniam ſi in capitis diſcrimine erraverint , non eſt corrigendi conſilii poteſtas : oportet autem a cauſa liberatum obnoxium manere legibus ; quod fieri poteſt , ut ſecundum eandem legem liceat aliquid rectius de reo ſtatuere . Hoc temperamento proviſum eſt , ne vel occidatur innocens , vel effugiat nocens , qui quamvis errore Judicum ſit abſolutus , poteſt eadem lege denũo conveniri , pœnaſque dare legibus . Perpende igitur Judex , & examina cauſam priuſquam pronuncies , neque feſtina ; ſed matura , ac lente feſtina : cum is ad pœnitendum properat , cito qui judicat , Mimo publiano teſte . Ac multos ſæpe præcipitati judicii pœnituit , maturi paucos . Hinc elegans eſt apud Græcos ſenarius *ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μυδένα*, id eſt : Ne quempiam punito , niſi rem expenderis . Idcirco cauſa cognita , & perpenſo judicio , id eſt , acri ,

exa-

exactoque judicio, & quod naris ſit (ut dicitur) emunctæ, æquum ab iniquo ſeparetur, ac licitum ab illicito diſcernatur, ut ex Celſo refert Ulpianus. *In l. 1. de juſt. & jure.*

PROUT QVÆQVE RES EXPOSTULAT) id eſt, quæque cauſa. Huic adſtipulatur Paulus his verbis: Omnino, inquit, ut in ceteris, ita & hujuſmodi cauſis, ex perſonarum conditione, & rerum qualitate diligenter pœnæ ſunt æſtimandæ, ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa poſtulabit. Nulla autem res, cauſaque melius quid poſtulet æſtimabitur, quam ex facto ipſo, & circumſtantiis: unde nos olim ſic luſimus ex tempore: *In l. Pedius, circa fin. de incend. rui. naufrag.*

Si bene facta notes conſultus, jura ſequentur,

Factum præcedens ordine jus ſequitur.

Hic quoque commendantur Judicibus periſtaſes, & circumſtantiæ, cum, ut diximus, nullus caſus tam ſimilis ſit alteri, qui non vel una circumſtantia variet. Tum & æquitatis convenientiam diligentius exequuntur, qui Judices, vel eos, ad quos cauſæ, & perſonæ pertinent inſtantius inſtruant. Olim Ariſtides quemdam reum egerat: at quum Judices poſt ejus accuſationem nollent audire reum, ſed *L ult. § ult. C. de iis, qui ad eccleſ. confug.*

ſed protinus ad ſuffragia, quibus eum damnarent, properarent, Ariſtides ſupplex pro reo interceſſit apud Judices, ut eum juxta legum præſcripta diligenter audirent. Tanta erat in viro legum, æquique obſervatio, auctore Eraſmo.

Lib. 5. Apophteg.

Plane in levioribus causis.) Rerum, cauſarumque diſcrimen maximum eſt, quædam enim aliter atque aliter tractari poſtulant, ut capitales graviter, civiles, & pecuniariæ leviter, quædam ſummariæ, & de plano, aliæ vero ſolemni proceſſu. Manifeſtum latrocinium, graſſatura, ingens furtum, ſacrilegium, flagitium pyraticum, ſeditio, proditio, & hujuſmodi, graviſſime ſolent perſequi, plectique. Quamobrem videndum eſt, reſpiciendumque Judici, quid, quæque res, cauſaque deſideret. Neque enim recipitur a noſtris, Stoicorum illa ſententia, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα, ut paria ſint delicta, & peccare idem ſit, ſed aliud crimen alio majus, aut minus eſt, aliud leve, & excuſabile, aliud enorme, & capitale. Quam & Horatius deriſit his verſibus lepidiſſimis:

Lib. 1. Sat. 3.

Queis paria eſſe fere placuit peccata, laborant
Cum ventum ad verum eſt: ſenſus, moresque repugnant,

At-

Atque ipſa utilitas juſti prope mater,
& aequi.

Et certe inquit alio in loco:

Non vincet ratio hoc, tantundem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus ſacra divum legerit.

Idcirco & pœnarum genera inæqualia ſunt ex ſententia noſtrorum Juriſprudentum, & ipſius etiam Horatii: *Toto tit. de pœnis. d. Satyr.*

Denique quatenus excidi penitus vitium iræ,
Cetera item nequeunt ſtultis hærentia, cui non
Ponderibus, moduliſque ſuis ratio utitur? ac res
Ut quæque eſt, ita ſuppliciis delicta coercet?

Nec alienius quicquam eſt a Judice, nec abſurdius, quam hanc differentiam delictorum, & pœnarum non habere in decernendo, ac judicando perſpectam.

PRONIORES AD LENITATEM.) Hoc eſt, manſuetudinem, humanitatem, & clementiam. Benigniores enim ſemper debemus eſſe ad abſolvendum, quam ad condemnandum. Et ſanctius eſſe Ulpianus dicit impunitum relinqui facinus nocentis, quam damnare innocentem. Adeoque ſemper *L. Arrianus, de actio. & oblig l. abſentem, §. ſed nec. de pœn.*

Digitized by Google

per præſtat modeſtius, clementiuſque judicare, quam ſeverius, aut crudelius, ut auctor eſt Seneca, inquiens: Quicquid æquo plus futurum eſt in partem humaniorem præponderet. Et cumprimis quidem moderatio hæc, ſeu lenitas morigeris, & ſanabilibus ingeniis exhibenda eſt, non deploratis, aut iis, qui futuri ſunt moleſti, aut hoſtes. Præclare autem Iſocrates Nicoclem regem admonet, ut mitis ſit, & pœnas irroget commiſſis minores. Nam potiſſimum eſt, inquit, ipſum rerum punctum attingere. Ceterum quoniam id perdifficile cognitu, malit citra illud ſubſiſtere, quam præterire. Magis enim ad mediocritatem facit quod diminutum eſt: quam quod redundat. Itaque procliviores, ac propenſiores ad manſuetudinem, lenitatemque, quam ad ſeveritatem eſſe debent Magiſtratus, & Judices. Quod etiam in hunc modum eleganter colligit Ariſtoteles: Ad quæ major eſt acceſſio, ea magis contraria eſſe dicimus. Ad ſævitiam, quam clementiam, ſeu lenitatem major eſt, & periculoſior acceſſio, ideo plus quoque peccant ſeveri, quam clementes. Hinc jura dicunt, favendum eſſe potius reo, quam actori, quando partium jura ſunt obſcu-

Lib. 1. de clemen.

Lib. 2. Ethico.

ra:

ra: idque præſertim in criminalibus, ubi pœnæ delictorum potius molliendæ ſunt, leniendæque, quam exacerbandæ, aut exaſperandæ. Item in pœnis benignior interpretatio eſt facienda. Odia reſtringi, favores convenit ampliari. Sed & Paulus dicit propenſiores eſſe nos debere, ſi habeamus occaſionem ad negandum, ubi de liberando quæritur, ex diverſo, ut faciliores ſimus ad liberationem.

L. præſes, l. interpretatione, de pœn. d. l. Arrianus. L. 3. § ult. C. de epiſc. audien.

IN GRAVIORIBUS PŒNIS.) Quæ ſunt pœnæ graviores enumerat Juriſconſultus. Ceterum hoc loco animadvertendum eſt, quod quemadmodum non ſimiliter ab omnibus peccatur, ita nec paſſim ſimiliter omnes puniendos eſſe, ut ſupra quoque diximus. Ergo aliter ſapientes viri & graves, aliter qui medio officio tenentur, aliter humiliores, & ſervilis conditionis homines. In ſumma in levioribus cauſis lenitas, in gravioribus delictis gravior pœna locum ſibi vindicare debet; ita tamen quemadmodum ſequitur, ut ſeveritas legum cum aliquo temperamento benignitatis condiatur. In omnibus enim tam civilibus, quam criminalibus cauſis ſemper auriga, & dux ſit ratio naturalis, & æquitas; adeoque ἐπιείκεια, a qua

In l. capitalium de pœn.

a qua quicquid diffidet, iniquum ſit neceſſe eſt, & a legiſlatoris voluntate alienum.

Severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis.) Hæc verba graviter ut cetera omnia ab Ulpiano explicantur, cum inquit: Hodie licet ei, qui extra ordinem cognoſcit, quam vult ſententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem, ita tamen, ut in utroque moderationem non excedat. Neque enim exacte ſemper de delinquentibus ſumendum eſt ſupplicium, etiam in extraordinariis criminibus, quum pœnæ ſint odioſæ, nec debeant imponi, aut habere locum, niſi in caſibus a jure expreſſis. Quondam leges duodecim tabularum, de capite civis, niſi per maximum convicium, illoſque, quos Cenſores in partibus populi locaſſent, judicari noluerunt; adeo de hominis ſalute non leviter decernebant veteres. Hoc autem loco pulchre Marcellus differentiam facit inter ἐπιείκειαν, & ἀκριβοδίκαιον, hoc eſt, inter æquitatem, & ſummum jus. Vocat enim ἐπιείκειαν temperamentum benignitatis ἀκριβοδίκαιον vero ſeveritatem legum: noſtri ſummum jus, ſeu ejus rigorem appellant. Cui igitur, ne fiat juxta Plautum crux, aut

L. hodie, de pœn. l. qui ſententiam, Cod. eod.

aut ſumma injuria, addendum eſt hoc benignitatis temperamentum, de quo non ſolum Marcellus hic, ſed & Ulpianus præcipit, ut rectiſſime Seneca in hunc modum: Quanta, inquit, ſolitudo, & vaſtitas futura eſt, ſi nihil relinquit, niſi quod Judex ſeverus abſolverit? Igitur hoc loco apertum habemus textum, ubi æquitas, benignitaſque rigori legis, ſeu acerbitati, ac ſummo juri etiam in gravioribus pœnis præfertur. Et ſeu Judicem Ariſtoteles deſcribens, dicit eum bonum virum eſſe, qui legem æquitate moderetur, quique non ſit in malam partem Judex durior, ſed de ſuo jure decedit, etiamſi habeat legis præſidium. Cui quoque Dynus adſtipulatur æquitatem definiens virtutem, ſeu motum rationalem, qui regat miſericordiam, & rigorem: hoc eſt, qui ſit illud medium inter ſeveritatem, & benignitatem, quod nos æquitatem appellamus. Nam inter durius, & remiſſius, inter ſeveritatis, & clementiæ gloriam affectandam velut inter extrema nimis dura temperamentum eſt æquitas, quæ media via incedit. Ubi vero non eſt æquum medium, ibi inter duo mala minus malum ſequi oportet. Sicut inter duo utilia, præferendum eſt, quod plus utili-

In l. abſentem, de pœn. Lib. 1. de clemen.

In l. ſolent. § ult. de off. proconſ. & Leget. facit lex 1. § lar-

gius tēpus. de ſucceſſ. edic. l. ita vulneratus, §.1. ad l. Aquil. l. 3. §. ſi pater alicujus, de bon. poſſeſſ. contra tab. l. quid ergo, §. pœna gravior, de tranſact. l aut facta, de pœn. l. ſi quis ſervo alieno, C. furt.

utilitatis habet. Sic inter duas res honeſtas, honeſtior præcedit. Et humanior ſententia ſemper eſt præferenda. Porro æquitas tamen non ſemper mitius agit in delictis, ſed interdum etiam acerbius. Ut enim medici in curationibus propter varietatem circumſtantiarum augent, aut moderantur communem remedii formam probabili ratione, ita legumlatores propter varietatem circumſtantiarum exaſperant, aut mitigant generales notitias, ut diſerte Melancthon noſter inquit. Hinc quoque eſt, nimirum ex diverſitate caſuum, & varietate circumſtantiarum, quod vulgo dicitur, jus habere cereum naſum, quem Juriſtæ ita adfingant pro ſuo arbitratu. Concedo. Id enim noſſe debet quicumque bonus voluerit eſſe Juriſconſultus, quomodo is naſus juri adaptandus, atque affigendus ſit: quandoquidem artis eſt, atque induſtriæ, eum naſum ita juri addere, ne tota juris facies, atque imago, ſicut antea fuit, deformetur. Etſi enim ſordidius membrum in facie hominis naſus eſt; utpote mucoſum; tamen ſi aut nimium curvus eſt, aut craſſus, aut elevatus, aut lacerus, aut truncatus, totam quidem oris formam, faciemque dehoneſtare ſolet. Cereus quo-

quoque naſus ille ita Juri, ac præſenti caſui conformetur, ne diſtorta inde facies appareat, efficiaturque. Qui id fit, dices? Reſpondeo ex mente Marcelli noſtri, & uti docet, nimirum ut ſummum jus, ac ſtrictum æquitati cedat, & potior ἐπιείκεια ſit quam ἀκριβοδίκαιον. Hæc enim mediocritas, ſeu æqualitas demum vera juſtitia eſt, quæ unicuique quod ſibi debetur, tribuit, eritque pulcher ille, ac mediocris naſus, qui honeſtam Juris faciem decet. Ejuſmodi naſum veteres, & Ariſtoteles quidem recte τῆς λεσβίας κανόνα, hoc eſt lesbiæ regulam nuncuparunt, qui cereus quidem non fuit, ſed plumbeus, ut & flecti, & ad qualemcumque lapidis figuram accommodari poſſet. Et quemadmodum eam regulam Architectus flectebat, ita volunt a Juriſconſulto leges interdum flecti, ſi id poſtulant circumſtantiæ, quarum in ſcrutanda, ac ſequenda æquitate magna eſt habenda ratio. Idcirco etiam prudentem Judicem, animam legis Ariſtoteles appellat, ut qui norit, ubi illa regula lesbia, ſeu cereo naſo utendum ſit ad conſervandam æquitatem. Hæc ſi cum Accurſii gloſſis confers ſedulo agnoſces facili negotio ejus & impoſturas, & commenta: quamque a boni

Vide Ariſto. in 5. Ethic. Mariū item Salomoniū, in tit. de juſtit. & jure.

nus lædant, & modeſtiores ſunt qui deliquerunt. Hinc Demoſthenes quoque præclare inquit, ſi cui condonanda mulcta eſt, certe modeſtioribus, & qui non graviter peccarunt, condonari debebit, non audaciſſimo nebuloni, & graviſſimis de cauſis condemnato. Quod diſerte ſecutus eſt Virgilius in deſcribendo Romani Imperatoris officio:

In prima contra Ariſtogitonem oratio.

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Nam quod humanius eſt, id æquitatis quoque ratione magis ſubnixum cenſetur. Et æquitatis benignitati opponit Modeſtinus rationem juris. Inhumanum autem eſt, & crudele nimis non manere ullam veniæ rationem, ut inquit Ulpianus. Humanitas enim eſt epitheton æquitatis egregium. Ceterum in pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſſe ſupra diximus. Quod & præcipit Paulus.

L. ſi ſervo fideicommiſſaria, de hæred. inſtit. In l. nulla, de leg. In l. furti, §. pactus ne peteret, de his, qui notant. infa. In l. factum cuique, de reg. jur. antiq.

Furta domestica.) Exemplis illuſtrat quæ generaliter ſuperius dixerat: Primum exemplum de furto leviori domeſtico eſt, in quo vindicando dicit nulla utendum eſſe ſeveritate, propterea quod & domeſticum ſit, & levius. Domeſtica, id eſt familiaria, quæ domi, & a familia noſtra fiunt: quemadmodum & familiaria ſepulcra dicuntur, quæ quis ſibi,

L. 5. de religio. & ſumpt. fune. L. pen. de teſtibus. Bart. in l. ſi quis uxori, de furt. & in l. ſed etſi unius, §. quadam, de inju. in 5. Verr. actio.

L. aut facta, §. locus, de pœn.

In d. l. aut facta, §. ult.

In Paradoxis.

ſibi, familiæque ſuæ conſtituit. Sic etiam teſtes dicimus domeſticos, quos de domo noſtra producimus. Sic Cicero dicit crimen domeſticum, ac vernaculum. Ceterum furta publica, ut peculatus, expilationes, bona rapta, quæ improba furta, appellantur furta manifeſta, & ſacrilegia; item militaria furta graviores pœnas merentur. Propter enim loci religionem, & propter militarem diſciplinam conſervandam, olim infligebatur capitis pœna pro furto, auctore Polybio. Quod Germani ſecuti, in furem quoque capitis pœnam ſtatuerunt, ne crebritate furtorum Reſpublica magis lædatur. Atque etiam eum morem confirmat Calliſtratus. Licet autem divina lex dicter: *Ne furtum feceris*; ſimpliciter omne furtum in genere prohibens, nec diſcrimen faciens inter domeſticum, aut non domeſticum, inter levius, aut gravius, quemadmodum & Stoici delicta omnia paria volebant eſſe, & æque reprehendenda, culpandaque, vel ipſo teſte Cicerone: tamen civili ratione aliter ſtatuitur, ut hoc loco, cum differentiam facit inter furem domeſticum, & extraneum, inter furtum levius, & gravius, idque propter ordinem politicum, qui rerum, & perſonarum

rum differentiam requirit, ac jubet aliter ex iiſdem facinoribus puniri ſervum quam liberum, aliter animadverti in eum, qui in dominum aliquid, parentemve auſus eſt, quam qui in extraneum; aliter punit eum, qui in Magiſtratum, quam qui in plebejum, aut privatum delinquit. Sic alias quoque gravior eſt injuria, quæ alicui in domo propria fit per extraneos, quam quæ alibi admittitur. Hinc & ſeverius Principes punire ſolent vim armatam, quæ in aulis ipſorum committitur, quam quæ extra aulam.

d. l. aut facta, §. perſona.

L. plerique, de in jus vocando.

SI LEVIORA.) Hoc eſt, ſi non magnæ pecuniæ furta fuerint. Eadem phraſis eſt, ſimiliſque loquendi modus apud Paulum: Si non magni, ſed exigui pretii furta fuerint. Et levia furta dicuntur, ut levia crimina. Secundum autem qualitatem, & quantitatem rei ſubtractæ æſtimantur furta, an gravia, an levia ſint. Secus ſi gravia furta, & a non domeſticis facta fuerint, tunc enim contra patratores & civiliter, & criminaliter agi poteſt. Hinc quoque eſt, quod uxor ſubtrahens marito, ſi furtum eſt leve, criminaliter non accuſatur.

In l. Pædius §. Divus, de incen. ruin. naufra.

L. levia, de accuſa. facit l. ſi ſervus patrono, de furt.

Facit l. ad ea, de regu. jur.

L. Prætor edixit, §. præterea, de injur.

PUBLICE VINDICANDA NON SUNT.) Domi ergo ex mente Accurſii. Verum ſi non vindicanda publice, ergo nec etiam accuſanda, quia non ſunt gravia furta. Coram Prætore, hoc eſt Judice, aut Magiſtratu, in foro publico vindicanda non ſunt domeſtica furta, ſed privatim intra domeſticos parietes. Quamobrem autem publice vindicanda non ſunt domeſtica furta leviora? Nam & hujus rei ratio a nobis reddenda eſt, ne quid temere, & inconſulto effutiamus, prudentiæ noſtræ innitentes. Hæc autem eſt; quia in ejuſmodi, contra ſervos dominis, contra libertos patronis, contra liberos parentibus, contra diſcipulos pædagogis non datur publica accuſatio, ſed domeſtica, ſaltem moderata conceditur correctio. Et Cicero docet, qualis objurgatio eſſe debeat, nimirum citra contumeliam. Moderatam autem dixi correctionem eſſe oportere, hoc eſt, levem caſtigationem, qualem Imperatores decernunt.

L. ſi quis uxori, l. qui ſervo, §. item placuit, de furt. l. 1. & 2. de act. rerum amot.

L. congruentius, C. de patr. poteſt. l. ſervi, & filii, de furt.

L. aut facta, § cauſa, de pœn. l. prætor, §. præterea, de injur.

Lib. 1. Offic.

L. 1. C. de emend. ſer. et de emend. propinq. l. ſed etſi quæcumq. §. ſi magiſter, ad leg. Aquil.

NEC ADMITTENDA EST HUJUSMODI ACCUSATIO.) Ratio eſt prioris lemmatis. Nam ſi domeſtica leviora furta vindicanda non ſunt publice, multo minus ſunt accuſanda, cum accuſatio vindictam præcedere de-

debeat. Julii Pauli verba clara ſunt, ſi libertus patrono, vel cliens, vel mercenarius ei, qui eum conduxit, furtum fecit, furti actio non naſcitur. Demoſthenes dicit Ariſtogitonem propterea in ſe capitalem pœnam in illo judicio conſtituiſſe, quod fratrem in prima oratione accuſaſſet.

L. ſi libertus, l. ſervi, & filii, de fur. §. hi qui in parentum, de oblig. quæ ex quaſi delict.

CUM SERVUS A DOMINO.) Dominus non habet actionem furti contra ſervum furem, ſi ſint tenuiora furta, tunc enim publice vindicanda non ſunt. Si vero ſint magna furta, agitur contra eum criminaliter, ut & aperte ex hoc textu colligitur. Alias quoque ad ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel ſceleris, in his ignoſcitur ſervis, ſi vel dominis, vel iis, qui vice dominorum ſunt, veluti tutoribus, & curatoribus obtemperaverint.

d. §. hi qui.

LIBERTUS A PATRONO.) Athenis quondam forum erat, quod libertorum appellabatur, quo ſolebant pertrahi liberti, qui a patronis accuſabantur, & in jus vocabantur. Hinc & actio erat adverſus libertos, qui deſeruerant patronos, novoſque quæſierant. Sane Imperatoris reſcripto cavetur, ut ſi patronus libertum ſuum non aluerit, jus patroni perdat. Item ſi liberi, vel liberti vocant parentes,

Marcianus in l. Divus Claud. de jure patr.

vel patronos in jus ſine venia, punitur illorum temeritas quinquaginta aureis. Quod poſtea tamen moderatæ ſunt Romanæ leges, quæ liberto quidem adverſus patronum non ſemper, ſed interdum injuriarum concedunt judicium, videlicet ſi atrox ſit injuria, quam paſſus ſit. Vide elegantem de liberto temere accuſante patronum hiſtoriam apud Valerium Maximum.

d. l. prætor, §. præterea. Lib. 2. cap. 1.

Mercenarius.) Mercenarius opponitur gratuito. Eſtque is, qui alicui operas ſuas locat. Unde & mercenarios teſtes dicimus eos, qui mercede conducti ſunt, vel pretio corrupti. Et furens quidem mercenarius res viles domino pluribus vicibus, tenetur furti actione ex mente Baldi.

In l. apud antiquos, C. de furt. Vide Accurſiū in l. præſenti, §. ſane verſi. domeſtica, C. de iis, qui ad eccl. confug.

Offeratur quæstioni.) Prohibetur hoc loco ſeveritas, ſeu atrocitas dominorum, patrumque familias, in ſervos, atque domeſticos, in quos ſævire quidem pro arbitratu, aut iracundia haud licet: eis tamen moderata correctio prohibita non eſt, ſed vis violenta, carcer, & quæſtio ut ſupra nonnihil attigimus. Ceterum de carcere, ſeu cuſtodia potius earum perſonarum æquus ac prudens diſcernet Judex.

Nam

Nam domestica furta.) Definit, atque declarat quæ domeſtica furta vocentur, hoc eſt a familia admiſſa. Et eſt in Pandectis titulus *Si familia furtum feciſſe dicatur*, ſcilicet, noſtra familia ſi furtum facit non domi noſtræ, ſed extra domum. Alias de domeſticis furtis ſupra diximus. Sed in conſtituenda pro furtis pœna (ne quid antiquitatis ignoretur) audiamus quam varie ab initio Legislatores ſtatuerint. Certe crediderim in nullo delicti genere toties mutatam eſſe pœnam. Qua in re primum audiamus Gellium: Draco Athenienſis (ait) vir bonus, multaque eſſe prudentia exiſtimatus eſt; Juriſque divini, & humani peritus fuit. Is Draco leges, quibus Athenienſes uterentur, primus omnium tulit. In illis legibus furem cujuſcumque modi furti, ſupplicio capitis puniendum eſſe, & alia pleraque nimis ſevere cenſuit, ſanxitque. Ejus igitur leges, quoniam videbantur impendio acerbiores: non decreto, juſſuque, ſed tacito Athenienſium conſenſu, obliteratæ ſunt. Poſtea legibus aliis mitioribus a Solone compoſitis uſi ſunt. Is Solon ex ſeptem illis inclitis Sapientibus fuit. Is ſua lege in fures, non (ut Draco antea) mortis, ſed du-

Lib. 11. cap. 18.

dupli pœna vindicandum exiſtimavit. Decemviri autem noſtri, qui poſt reges exactos, Leges, quibus populus Romanus uteretur, in duodecim tabulas ſcripſerunt: neque pari ſeveritate in puniendis omnium generum furibus: neque remiſſa nimis lenitate uſi ſunt. Nam furem, qui manifeſto furto prehenſus eſſet: tum demum occidi permiſerunt: ſi aut cum faceret furtum, nox eſſet: aut interdiu ſe telo, cum prehenderetur, defenderet. Hæc Gellius referens plene verba legis duodecim tabularum de furto puniendo. Sed iterum nonnihil diſceſſum fuit à pœna Decemvirorum, reducta pœna Solonis pecuniaria. Cui Prætor adjecit pœnam quadrupli in furto manifeſto. Quæ pœna Moſaicis quoque legibus fere accedit. Hinc eſt, quod actionem furti nec manifeſti, appellant civilem, quia ex legibus Solonis habet pœnam dupli, cum ad rem ipſam quoque ſecundum Solonis ſententiam; & ſic in triplum competeret. Sed duriore interpretatione, quam requirebat hoc delictum, fuit receptum, ut triplum totum eſſet pœna, aliis actionibus ad rem ipſam conceſſis. Quamobrem Juſtinianus: Sunt autem conſtitutæ (ait) noxales actiones, aut legibus, aut edi-

In §. pœna, de oblig. quæ ex delict. naſc. §. in duplum, & §. quadrupli, de actio.

Exod. 22.

§. ult. de obligat. quæ ex delict. naſcun.

edicto Prætoris, legibus, veluti furti ex lege duodecim tabularum. Actionem vero ex furto manifeſto, quoniam quadruplum continet, incognitam, plane Soloni, & Draconi: prætoriam nuncupant. Furti quoque (inquit Juſtinianus) manifeſti, quamvis ex Prætoris juriſdictione proficiſcatur, tamen perpetuo datur. Deinde cum furta vehementer nocere viderentur omnibus, adeo diſplicuerunt, ut rurſus a pœna pecuniaria diſcederetur ad corporis caſtigationem. Et cœperunt pleræque gentes membra furibus abſcindere: cujus jam nunc imaginem retinemus, cum abſcinduntur aures, vel lingua, aut cum effodiuntur oculi. Sed hoc cum Juſtiniano diſpliceret, permiſit quidem aliud caſtigandi genus, membri tamen diſſolutione interdicta. Fures autem (inquit) vocamus, qui occulte, & ſine armis hujuſmodi delinquunt. Alios vero graſſatores, & cum ablatione rerum armatam vim conjungentes, legitimis relinquit pœnis, quæ ſunt apud Juriſconſultum. Quem locum inſulſe multi torquent, quia non percipiunt. Illud autem ſemper obtinuit, & nominatam immutationem non habuit, quod fur nocturnus, aut interdiu comprehenſus,

§ 1 de perp. & tempora. actio.

Novel. ut nul. judi. lice. habe. loc. ſerva. § ult.

In l capitalium, § famoſos, de pœn.

ſus, telo ſe defendens, recte poſſet occidi, ſicut & lege duodecim tabularum ſancitum fuit. Ratio: quia utroque caſu, homicidii mala copulari videbantur cum delicto furti: nempe quod noctu ſæpe occiderentur homines, ne clamore facto, furibus ſe opponerent. Et is, qui ablatis rebus, ſe adverſus dominum repoſcentem furta defendit armis: quid aliud facit, quam quod delictum duplicat, volens & rebus, & corpori nocere? Subſcribit ergo huic Juri Ulpianus. Tandem cum experientia doceret nullam pœnam pecuniariam in hoc delinquendi genere malitiis hominum ſufficere; Federicus Imperator ejus nominis primus conſtituit, eum, qui rèm quinque ſolidis æſtimandam furaretur, laqueo ſuſpendendum: ſi minus, ſcopis caſtigandum eſſe. Quamquam idem Federicus altero titulo de pace tenenda: Injuria (inquit) ſeu furtum legitime puniatur. Quibus verbis plerique doctores putant ſuperiorem conſtitutionem exauctoratam eſſe: quaſi iſtud *legitime* non pertineat ad ſuas, ſed ad alias Romanorum leges. Verum, quid prohibet etiam de ſua cum lege loqui? Porro ſi conſuetudinem adhibeamus interpretem, conſtat receptam eſſe velut jure gen-

In l. ſi pignore, §. furem, de furtis, & in l. furem nocturnum, ad l. Cornel. de ſicariis.

§. ult. de pace tenenda, & ejus violat. in uſib. feu.

gentium pœnam furcæ apud omnes. Videsne quanta in jure pœnarum varietas propter circumſtantias incurrentes, hoc eſt, diverſitatem temporum?

Delinquunt autem.) Diviſio eſt delictorum, ſive generalia illa intelligas; ſive ſpecialia. Tripliciter autem fieri delicta dicit: quæ diviſio elegans eſt ſane; & in omnibus delictis diſcernendis accurate obſervanda. Longe enim differt, ac ingens diſcrimen habet, homicidium, vel propoſito, vel impetu, vel caſu admiſſum; quemadmodum Paulus Juriſconſultus diſerte inquit: Qui hominem occiderit, aliquando abſolvitur. Igitur ex hac diviſione purgatio naſcitur, atque admittitur, per quam ejus, qui accuſatur, non factum ipſum, ſed voluntas defenditur, ea habet partes tres: Imprudentiam, caſum, neceſſitudinem. Præclare autem Demoſthenes id mihi explicare videtur. Cerno hæc, inquit, quodammodo definita, & ordinata eſſe: deliquit quis ſua ſponte, volensque, ira, & pœna adverſus ipſum. Erravit quis invitus; venia pro pœna adverſus ipſum. Nec deliquit, nec erravit, ſed cum utilitatem ſequeretur, una cum omnibus aſſequi non potuit, nec

Lib. 5. ſent. recept.

In Oratione περὶ στεφάνου.

rem

rem ut cupiebat perficere, nec improperandum eſt huic, nec objurgandum, ſed condolendum. Hæc manifeſta ſunt, nec legibus duntaxat, verum etiam natura ipſa non ſcriptis legibus humanis moribus definivit. Nonne & hanc deliſtorum partitionem videri poteſt Juriſconſultus ex hoc loco Demoſthenis mutuaſſe, & deprompſiſſe? Paulo enim ante etiam de fortuna, ſeu caſu locutus eſt, qui in nullius hominis eſt poteſtate. Si potes (inquit) Æſchines hominem ſub ſole nominare, qui ſine offenſione aliqua evaſerit prius a Philippi, nunc ab Alexandri potentia, aut Græcum, aut barbarum, concedam tibi meam fortunam, ſive infortunium appellare mavis, omnium malorum cauſam fuiſſe. Sin autem ex his, qui me numquam viderunt, nec vocem meam audierunt unquam, multi multa ac gravia fuerunt perpeſſi, nec ſolum homines, verum etiam urbes, & nationes, quanto juſtius, & verius communem omnium fortunam, & tempeſtatem quandam adverſam convenit cauſam putari &c. Et paulo poſt ait: Fortunam eſſe accuſandam, quæ turbet res humanas. Sed jam de illis tribus ſeparatim dicamus.

Pro-

Proposito.) προαίρεσιν (ni fallor) vocat Ariſtoteles, id eſt conſulto, voluntate, judicio inſtituto, præmeditato, ſtudio, de induſtria, data opera, ſeu ut Græci dicunt γιγνώσκων καὶ εἰδών, id eſt, cum quis prudens, ſciensque latrocinium, homicidium, aut aliud flagitium committit, is ultimo ſupplicio punitur. Nam culpæ, & dolo obnoxius eſt, Græci voluntaria ἑκούσια, non voluntaria ἀκούσια vocant. Cajus id quod propoſito, ac ſponte admittitur, ſciens, prudenſque interpretari videtur. Et Julius Paulus: Calumnioſus eſt, inquit, qui ſciens, prudenſque per fraudem alicui negotium comparat. Sabinus vocat, ſua voluntate admittere. Atque conſulto peccare dicimus, hoc eſt, data opera, ubi conſilium non ſic intelligitur, ut cum dicimus dare conſilium, quod græce βουλὴ dicitur, ſed ut definitur a Cicerone eſſe aliquid faciendi, vel non faciendi excogitatam rationem. Secus, ſi vel δι' ἄγνοιαν, per imprudentiam, vel per laſciviam, vel per petulantiam, vel per culpam tantum aliquem occidit, ut infra ſequetur. Quiſquis autem præmeditato quem aggreditur, ſolet conſilio ad omnes caſus invadere: & is, in quem impetus fit, impoſſibile eſt primo præ-

Lib.3.Ethi. cap.2.

In l. qui ædes, de incend ruin. naufra.
L. 1. de calumniat.
L. furtim, orbo fur. caſsrum.

Lib. 2. veteris Rhetor.

præſertim congreſſu, quin paveat, vel trepidet, ut eleganter dicit Salomonius. Et Ulpianus in eo, qui ſe tuendo oculum effodit, diſtinguit, an ex propoſito effoderit. Refert & in majoribus delictis, inquit, conſulto aliquid admittatur an caſu, & ſane in omnibus criminibus, diſtinctio hæc pœnam aut juſtam eligere debet, aut temperamentum admittere. Sic quoque Demoſthenes ait, decretum virorum prudentum eſſe, emendationem delictorum, quæ vel conſulto, vel inconſulto admittuntur. Et contra Midiam. Deinde leges, inquit, ſunt de cædibus latæ, quæ eos, qui conſulto alterum interemiſſent morte, perpetuo exilio, omnium denique bonorum publicatione condemnant: eos, qui inconſulto, venia, & magna dignos humanitate judicant. Nec in his ſolum rebus, ſed in omnibus cernere licet leges his acerbas eſſe, qui de induſtria alios violant. Omnino enim in rebus his verſatur conſilium, ſeu ut Demoſthenes dicit προνοίας δὲ ἐκ προαιρέσεως, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Quanquam inter propoſitum, & voluntatem Ariſtoteles differentiam facere videtur, quod illud in rebus, quæ ad fines ſpectant, verſetur, hæc autem in fine. Actionis

In l. ut vim, de juſt. & jure.
In l. abſentem, § ult. de pœnis.
In prima contra Ariſtogitonem oratio.
In 6. Ethicorum.

Digitized by Google

nis enim, inquit, omnis principium eſt propoſitum, & conſilium, ex quo motio naſcitur, non finis, & extremum. Eligendi autem principium ab appetitione eſt petendum, eaque ratione, quæ ad finem pertinet, cui appetitioni ſi adeſt virtus, rectum efficit propoſitum. Hæc ab Ariſtotele latius ubi de voluntario, & involuntario differit diſertiſſime, quo loco ait: Eorum, quæ voluntaria ſunt, partim conſulto, partim inconſulto facimus, & de his differit quæ conſulto, inconſulto, & de induſtria fiunt; itaque concludit, nullum facinus malum eſſe, niſi voluntarium ſit. Hæc diligenter conſideranda ſunt. Permultum enim intereſt, utrum voluntate, ac ſponte noſtra, an inviti quid faciamus. Et ſane tum quiſque facit injuriam, æquumque, cum ſua voluntate facit. Cum invitus, nec injuriam cuiquam infert, nec æquum facit niſi fortuito, quod ea gerat, quæ ut bona ſint, evenit. Atqui voluntate, injuria, & recte facta definita ſunt. Ex his apparet propoſito delinquere prævaricatorem, qui fictis probationibus utens bonas omittit, eoque facit, ut accuſatus abſolvatur. Item proditor, inſultor, & aggreſſor, ſicarius, & latro ex propoſito, ſed eo

L. qui injuriæ, de furt. l. Divus, de ſicariis.

L. ab imperatore, de prævaricat.

Digitized by Google

Vide l.4. C. de accuſat.

eo antecedenti delinquunt, teſte Bartolo.

In l.2 § voluntatem, ſolu. matrimo.

Triplicem voluntatem eleganter inſinuat Ulpianus.

- *Expreſſam, quæ ex præfationibus vel præcedenti tractatu conſtat, l. Titia, l. ita ſtipulatus ſum, de verb. oblig.*
- *Tacitam, ut quia natura contractus, qualitas rei, perſonæ, contrahentium conſuetudo, ejus quod actum eſt, conjecturam indicant, l. ſemper in ſtipulationibus, de regu. jur. Vide Alciatum in l. in conventionibus, de verb. ſign.*
- *Quaſi voluntatem.*

Adde ad illas tres.

- *Captatoriam, ea eſt quæ pendet ex aliena voluntate, l. captatorias, de hæred. inſtituend.*
- *Coactam, hæc ſtricta juris ratione voluntas eſt, de qua Paulus in l. ſi mulier, quod metus cauſa. Si metu coactus (inquit) adii hæreditatem, puto me hæredem effici; quia quamvis, ſi liberum eſſet, voluiſſem, tamen coactus volui.*

Et præſumpta voluntas domini, hoc ſi ex veriſimilibus judiciis appareat dominum velle, aut nolle, ut ſuo nomine quicquam fiat; *l. ſed & hæc, & l. Pomponius, §. ultimo, de Procurat.*

In tit Pandec. ad l. Jul. de ſicar.

Latrones.) Λῃστής græce, quod vel latronem, vel prædonem, vel ſicarium, vel aggreſſorem ſignificat, & Juriſconſultus aggreſſores, & latrones conjungit. Latrones autem ſibi mala ad faciendum proponunt, ideo non caſu, ſed voluntate, conſulto, atque ex propoſito delinquunt. Sua enim latrocinia, & ſceleratas factiones, judicio, ac voluntate ſuſcipiunt, ex qua voluntaria flagitia ſequuntur, quemadmodum & Satyricus ſubindicat hoc verſu:

Ut

Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones.

Ulpianus alibi vocat latrunculos, per quos non minus in mari, quam in villa, non minus in campo, quam in civitate inquietamur, ac infeſtamur. Quæ ſit autem iſtorum latronum pœna variis in locis deſcripſerunt Juriſconſulti. Si qui ex principalibus (inquit Calliſtratus) alicujus civitatis latrocinium fecerint, aliudve quod facinus, ut capitalem pœnam meruiſſe videantur, commiſerint, vinctos eos cuſtodies, & mihi ſcribes, & adjicies quod quiſque commiſerit. Famoſos latrones idem dicit, in his locis, ubi graſſati ſunt, furca figendos. Graſſatores autem, qui prædæ cauſa id faciunt, & proximi latronibus habentur, ſi cum ferro aggredi, & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur. Hinc & Modeſtinus inſignes latrones dicit ad appellandum non admitti. Puto autem eum loqui de noſtris rabulis forenſibus. Horum enim plerique ita inſignes fures ſunt, ut ſub prætextu tuendi juris, univerſos bonis ſuis, & facultatibus denudent, ſicque ex aliorum jactura fiunt locupletiſſimi. Atque utinam prorſus civitatibus pellerentur tanquam peſtes. Memini cum Aureliæ eſſem apud quem-

L: prætor ait, §. Labeo ſcribit, de incend. rui. naufr.
In l. ſciendum, arbo. furt cæſar. in l. divi fratres, §. ult.

L. capitalium, §. graſſatores, §. famoſos, de pœ. l. conſtitutiones, de appella.

quendam procuratorem, virum alioqui bonum, & pium, acceſſiſſe ad eum ruſticum quemdam non plane ineptum, conquerentem quod a quopiam latro fuiſſet appellatus, idque quia moleſte ferret, cupere ſe ajebat ejus opera, & ſtudio actione injuriarum adverſus illum experiri. Hoc tam puſillum eſſe ut in diſceptationem, & in forum venire non mereretur reſpondente procuratore. Nam & me inquiebat omnes appellant. Credo inquit. Hoc enim ad vos quodam vero jure, & proprio pertinet, neque alium vivendi modum habes. Ridicule dictum, ſed non minus quam vere. Hinc nata apud noſtros etiam Doctorculos fœdiſſima iſta locutio. Hæc lex eſt de pane lucrando, aliæque pene innumeræ impoſturæ cautelæ, cavillationes, quibus & leges involvuntur, & lites redduntur immortales. Utinam Chriſtus ſua benignitate aliquando populum ſuum aſpiciat ſic miſere horum dolis afflictum, noſque tandem a tot erroribus, prælucente verbo ſuo, purget, immuneſque reddat. Sed ad rem redeamus.

Qui factionem habent.) Conventiones, & conventicula ſupra vocat, & latronum conſcientiam. Inde factioſi cives, quales quondam fuerunt

In l. aut facto, tit. eod.

runt, Catilina, Jugurtha, Clodius, & plerique alii, nihil a latronibus, & ſicariis differentes. Pravis enim inter pravos amicitiam eſſe, non eſt inconveniens ex Ariſtotele, & Cicerone, φαύλους ἐνδέχεται φίλους ἀλλήλοις εἶναι. Nec deſunt hodie civitatibus tales, qui adverſus legitimos ſuos magiſtratus, & principes factionem habent, eamque ſedulo moliuntur, magnæ Rerum publicarum peſtes. Et hi quidem non ſolum prudentes, & ſcientes nocent Rebuſpublicis, ſed de induſtria etiam (Proh dolor!) hoc eſt, & cogitato, & conſulto, dataque opera faciunt injuriam, ut merito injuſti, & improbi nominentur: quemadmodum Imperator, raptores, ac prædones improbos, fures appellat. Porro autem factionum duces damnatos ſtatim puniri, publice intereſſe, Modeſtinus ait, eorumque appellationes non recipiendas. Eſt igitur perniciosa res, ac periculoſa in civitatibus factio, omnibus modis cavenda, ac deteſtanda. Extat elegantiſſima, æquiſſimaque bonæ memoriæ Regis Franciſci Valleſii hac de re conſtitutio, quam ſemper debent habere præ oculis Judices. Sed videmus quomodo jam ſub ſpecie religionis, & prætextu, omnia in priſtinum ſtatum reciderint.

Lib. 8. Ethicorum.

De vi bon. rapt.

L. conſtitutiones 4. de appella.

G IM-

Impetu .). Id eſt , temere , inconſulto , atque imprudenter . Hic autem (vel me animus fallit) potiſſimum de eo impetu , ſeu concitatione animi loquitur Marcellus ; qui ex iracundia , & perturbatione aliqua procedit , de quo Ariſtoteles : Quæ per iram , (ait) ſeu calorem iracundiæ fiunt , ea minime conſulto fieri , eaque homines in periculum deducere poſſunt . Eſt enim impetus perturbatio , ſeu motus quidem animi nimius , rationi non obtemperans , fugiendus viro bono . Cicero : Nam qui injuſte impetum in quempiam facit , aut ira , aut alia perturbatione incitatus , is quaſi manus violenter videtur adferre ſocio . Nec non graviter Diodotus apud Thucydidem , inquit , homines impetu , ut ſuo quiſque occupantur inſanabili , & potentiore , quam ut reprimatur , in periculum deduci . Et paulo poſt ſubjungit , impoſſibile , & ingentis vecordiæ eſſe , credere , ulla vel vi legum , vel alia difficultate prohiberi , quoties humana natura ad aliquid agendum concitata impetu tendat . Ac nonnullam habet inſaniæ ſpeciem , & cum furore ſimilitudinem , ut Poeta quidem canit :

Lib. 3. Ethicorum.

Lib. 3. Offic.

Dum furor in curſu eſt , currenti cede furori.

Dif-

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Qualis & in iis eſt, qui vel amore, vel odio, vel libidine, vel avaritia, aut ira incitati in flagitia præcipites feruntur, quemadmodum illa apud Poetam amoris æſtu incenſa loquitur:

Et mihi per fluctus impetus ire fuit.

Quemadmodum enim oculus conturbatus non eſt probe affectus ad ſuum munus fungendum, ſic conturbatus animus non eſt aptus ad exequendum munus ſuum. Nihil autem potius ipſæ leges, univerſaque Philoſophia docet, quam ejuſmodi animi impetus frænandos, ac regendos eſſe recta ratione, & liberali doctrina. Quod etſi fiat; & naturam furca expellas, tamen uſque recurrit. Proinde pudoris, & famæ, & impetus Athenis aras fuiſſe ſcribit Pauſanias. Et Papinianus impetum refrænandum eſſe dicit. Ceterum, inquit, mariti & calor, & impetus facile ſævientis fuit refrænandus. Hinc quoque Julius Paulus humaniſſimam legem tulit inquiens: Quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuerit judicium animi fuiſſe. Certum igitur eſt, hic loqui de eo impetu Juriſconſultum, qui ex perturbatione ſuam ha-

In l. nec in ea ad leg. Jul. de adul.

De reg. jur. l. divortium non eſt de divort.

bet originem, naſciturque ex motu animi perturbati, quem Græci πάθη nominant. Ariſtoteles perturbationes appellat cupiditatem, iram, excandeſcentiam, timorem, audaciam, invidiam, &c. Et Claudius Saturninus prudenter ſane impetus, iræque circumſtantias ex Demoſthene colligit. Bartolus autem tunc contrahi maleficium impetu dicit, quando inter duos ſimul inſtantes oritur ſubito rixa, ſeu propter verbum novum, vel contentionem noviter emergentem, ſeu propter ebrietatem, allegans Juriſconſultum: ſumenſque pro eodem impetum, & rixam, quamquam rixam, & convicia frequenter impetus, atque inſultus ſequi ſoleant. Quamobrem diſerte, ut omnia Cicero ait: In omni injuſtitia permultum intereſt, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt, & ad tempus, an conſulto, & cogitato fiat injuria. Leviora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata, & præparata inferuntur. Hic eandem Cicero, quam & Juriſconſultus, diſtinctionem facit inter propoſitum, & impetum, inter conſulto, & repentino aliquo motu factum. Idem alibi. Multi faciunt multa temeritate quadam, ſine judicio,

Lib. 7. Ethicorum. Cic. Offic. 2.

In l. aut facta, de pœ.

In l. ſi in rixa, de ſicar.

Lib. 1. Offic.

cio, vel modo in omnes, vel repentino quodam quaſi vento, impetu animi incitati, quæ beneficia æque magna non ſunt habenda, atque ea, quæ judicio, conſiderate, conſtanterque delata ſunt. Quam differentiam omnibus modis quidem in diſcernendis delictis oportet obſervare Judicem, ac Magiſtratus: nec Ulpiani verbi, quod ſupra retulimus, oblviſci, quo hac diſtinctione aut juſtam pœnam eligamus, aut temperamentum admittamus. Ceterum eſt alius impetus, qui non ſolum excuſationem habet, verum etiam laudem meretur, quem Græci θεῖον, hoc eſt, divinum, & heroicum appellant, qua animi concitatione ad res præclaras gerendas rapiuntur, veluti in Horatio Coclite, in Quinto Mutio, in Marco Curtio, aliiſque, in quibus impetus ille fuit animi ad gloriam ſingularis, cujus fructum quidem nullum vivi erant percepturi. De quo heroico impetu Plato per alas intelligit, quibus humanæ mentes in cælum volitent, & attollantur. Ac nemo quidem ſine ejuſmodi impetu, ſeu aliquo afflatu divino aut in Republica, aut literis, vir magnus unquam fuit. Cicero perdocte in hunc modum: Ex hoc curſu, atque impetu animorum, ad ve-

Lib. 1. Offic.

In Phædr.

Lib. 2. Quæſtio. Tuſcul.

ram laudem, atque honeſtatem illa pericula adeuntur in præliis, non ſentiunt viri fortes in acie vulnera: Atqui de hoc impetu hic a Marcello non differitur, ſed de eo, qui culpam habet, pœnamque meretur, quæ ſecundum circumſtantias, & legitimas cauſas vel mitiganda, vel exacerbanda eſt, ut ſupra quoque attigimus.

Per ebrietatem.) Hac ſpecie declarat quod ante dixit impetu delinqui, cum per ebrietatem aliquis ad arma proſilit, ac ferit. Neque enim leve crimen eſt ebrietas, & gignit multa alia flagitia ex ſeſe, quemadmodum non ex hiſtoriis modo cognoſcere eſt, ſed & quotidie videre, non in plebecula ſolum, ſed etiam in poteſtatibus. Ebrius autem juxta Ariſtotelem ignorans agit, & non per ignorantiam. Ignorat enim a quibus abſtinendum ſit: non autem ignorat ſi percutit, ſe percutere, ſed an, & quale delictum ſit: velut ille, qui calore iracundiæ quid facit, ſic ebrius impetu facere dicitur: & abſentem lædit qui cum ebrio litigat. Gravius tamen puniendus eſt ebrius, quam ſi per ignorantiam delinqueret, quoniam ipſemet cauſa eſt ſuæ ignorantiæ, & eſt peccatum ſuæ ebrietatis, & in eo peccatum, quod ignorans male

male facit. Sed hoc certo ſcias, homicidium, aut aliud crimen per ebrietatem patratum mitius puniri, quia non propoſito, ſed impetu fit, quod hoc textu probatur: Et alio loco inquit Juriſconſultus, per vinum, aut laſciviam lapſis capitalem pœnam eſſe remittendam. Porro ebrium (ut plerique hodie fieri ſolent) ſi tam eſt ebrius, ut neſciat ſe injuriam facere, & cui faciat, tanquam furioſum excuſari poſſe putem, juxta mentem Ulpiani. Et militibus per vinum, aut laſciviam lapſis, capitalis pœna remittenda eſt, & militiæ mutatio irroganda.

Adde l. omne delictū, §. per vinū, de re milit. Vide Roma. in l. 1. de verb. oblig. & docto. in l. dolum, C. de dolo.

In l. illud relatum, §. ſane, de injur.

d. l. omne delictum, de re milit.

CASU.) Caſus eſt fortuitus rei eventus, non tamen per ſortem, ſicut fœmina virum ſortitur. Sortiri enim eſt ſortito capere, hoc eſt, per ſortem obtinere. Sorte enim aliquid conſequi, eſt fortuito rei eventu, vel caſu acquirere. Ceterum caſus fortuitus eſt, quem nulla hominum providentia, cavere, aut providere poteſt. Cicero in Verrem: Ad incertum, inquit, caſum, & eventum, certus quotannis labor, & certus ſumptus impenditur. Interpretes noſtri faciunt differentiam, inter caſum fortuitum, & caſum de improviſo, idque ex mente Baldi. Sed mea ſen-

In tit. quib. mod. re contrah. oblig.

Actione 5.

tentia in idem recidunt, & de fortuito caſu hic intelligit. Et eſt quidem caſus fortuitus, quando nimirum res ſecus, quam putaramus, accidit, evenitque, ut incendium fortuito factum venia indiget. Recte ergo Ovidius caſum eſſe in eventu dixit, cum multa cadant inter os, & offam, ſupremaque labra, ideo caſum pro eventu accipimus. Nam eventus plerumque ſecus contingit, quam arbitrabamur, aut propoſueramus. Eventus autem ſpectari jubet Claudius Saturninus, ut a clementiſſimo quoque facta. Ac ibidem dicit apud Græcos exilio voluntario fortuitos caſus lui. Sane ſæpe contingit viro bono, & honeſto malus, atque indignus caſus, in quem non ſua culpa, ſed vi quadam fatali impulſus eſſe videatur. Nulla enim eſt mortalibus ejus, quod eſt divinitus conſtitutum, evadendi via. Et quis caſus fortuitos poteſt præſtare? Quod etiam Ulpianus ſentit. Non enim debent, inquit, Magiſtratus futuros caſus, & fortunam præſtare pupillo. Quanquam Pomponius dicit: Si negotium abſentis, & ignorantis geras, & culpam, & dolum præſtare debes. Sed Proculus ait, interdum & caſum præſtare debet. Caſum negligentiam interpretatur Cajus.

L. ſi fortuito, de incend. ruin. naufr.

In l. aut facta, de pœn.

L. in ordinem, de magiſtratibus.

De neg. geſt.

jus. Et Calliſtratus pulchram facit differentiam, inter admiſſum negligentia, aut caſu fortuito: ubi ait, exquiri oportere, utrum nimia negligentia militum evaſerit, an caſu. Si per vitium, aut deſidiam cuſtodis id evenerit, caſtigandum eum, & in deteriorem militiam dandum. Si vero fortuito admiſerit, nihil in eum ſtatuendum eſſe. Quandoquidem ea quæ ex improviſo caſu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque non noxiæ imputantur. Et Ulpianus: Fortuitos caſus, inquit, nullum hominum conſilium prævidere poteſt. Et alio loco: Si quis opus, quod perfecerit, aſſignaverit; deinde id fortuito caſu aliquid paſſum ſit, periculum ad eum, qui fecit, non pertinere, Imperator noſter reſcripſit. Cicero caſum pulchre a conſilio diſcernit: Nec vero nunc quidem culpa in eo eſt, in cujus poteſtate omnia ſunt; niſi forte id ipſum eſſe non debuit, ſed alia caſu, alia etiam noſtra culpa ſic acciderunt, ut de præteritis non ſit quærendum. Reliquam ſpem nullam video, quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquiſti, ſi conſilio: feliciter, ſi caſu. Reliqua quæ de lata, levi, & leviſſima hic tractant interpretes, conſulto omit-

In l. qui ædes, de incend. ruin. naufr.

In l. milites, de cuſtod. & exhib. reor.

L. 1. ad l. Cornel. de ſicar. C.

In l. 2. §. gravi æſtimatione.

In l. 1. de pollici.

Lib. 7 Epiſt. ad Curium.

In obſervationibus noſtris.

omittimus, ne prolixi eſſe videamur, & alias etiam latius diximus.

L. in lege ad l. Cornel. de ſicar. Vide Alciatum lib. 1. diſpunctio. cap. 17.

Cum in venando telum.) Paulus aliud de putatore decernit. Ceterum ut quem caſus fortuitus in Actione Aquiliæ excuſet, duo requiruntur: Primo, ut ludens jaculis ſit talis, qui conſueverit ſimilia facere. Secundo, quod faciat loco conſueto, alioqui non excuſatur.

In l. edicto Pretoris, de bonorū poſſ. toto tit. de pœn.

Capitis pœna est.) Rei capitalis damnatus intelligitur is, cui pœna mors, aut aquæ, & ignis interdictio ſit, teſte Africano. Cetera vide apud reliquos Juriſconſultos. Ac quævis natio fere peculiares puniendi ritus habet. Italia beſtiis objicit ſontes, aut reſti guttur frangit, Britannia ſecuri, Germania gladio, aut rota ferit. Et ſuus cuique nationi mos in maleficiis puniendis, nec unum genus mortis veteres tyranni invenere. Sed tamen nec pœnæ a legitimo magiſtratu irrogatæ, minus ex natura ſunt, quam & ceteræ defenſiones legitimæ, & Magiſtratus ipſe, ne cum mali legum cancellos tranſiliant, id ferant impune, quod pravo exemplo Rempublicam læſerint, ſeu communem hominum ſocietatem offenderint. Origo autem pœnarum ſic habet: Quamquam nullo inventus

tus eſt ſeculo, qui inficias iret: delicta, ne nimium multiplicarentur ob malitiam carnis, oportere coerceri: ut quos virtutis amor non alliceret ad bene faciendum, eos ſaltem metus pœnarum abſterreret a delinquendo: verumtamen priſcis temporibus mortem ob delictum inferri, non fuit receptum. Nefás enim videbatur, quamvis malos, tamen homines ſupplicio capitis afficere. Ea tum fuerat mundi ſimplicitas. Itaque maximam pœnam exiſtimabant interdictionem ignis, & aquæ. Quum enim earum rerum uſu in hac vita nemo carere poſſit, perinde habebant, ac ſi eſſet is, qui eam ſententiam excepiſſet, morte mulctatus. Veteres enim, cum veram Dei creationem non ſatis perciperent, arbitrabantur his duobus elementis, igni, & aqua, produci omnium animantium vitam. Ideo nuptiarum fœdera interventu ignis, & aquæ celebrabantur. Scævola: Virgini (inquit) in hortos deductæ ante diem tertium, quam ibi nuptiæ fierent: cum in ſeparata diæta ab eo eſſet, die nuptiarum, priusquam ad eum tranſiret, & priusquam aqua, & ignis acciperetur: obtulit decem aureos dono. Ubi Accurſius ignem, & aquam male intellexit de face, & tæda

In l. cum de donat. inter virum, & uxorem.

Digitized by Google

tæda nuptiali , quæ alia quadam honoris ſolemnitate ſolebat novæ nuptæ præferri , & ſervus , qui præferebat , dicebatur prælucens : Unde & Cicero metaphoricῶs dixit : Bona ſpe prælucet in poſterum . At vero, creſcente jam hominum malitia , cum introduceretur mortis ſupplicium : cœperunt ſic diſtingui pœnarum gradus , & genera : Primus gradus continet maximas pœnas, quæ capitales proprie dicuntur , & ultimum , ſummumque adferunt ſupplicium : veluti ad furcam damnatio , vivi crematio , capitis amputatio , & quæ nunc his ſunt ſimiles : Huc refertur quoque damnatio ad beſtias. Ultimum autem ſupplicium eſſe mortem ſolam interpretamur. Secundus gradus habet pœnas quaſi capitales , hoc eſt , morti proximas , quales ſunt , metalli coertio , in inſulam deportatio . Alioquin , ſi ad capitis , & ſtatus mutationem reſpicias , metalli pœna eſt maxima capitis deminutio , quoniam adimit civitatem, & libertatem. Hoc autem trifariam contingebat , ut alibi dicemus . Tertius gradus pœnarum eſt deportatio, quæ ſucceſſit in locum deportationis ignis , & aquæ . Deportatio autem dicitur , quaſi portatio de eo jure , quod quis in civitate habuit,

In Lelio.

L. ſi quis forte, § fin. & l. capitalium, de pœn. l. qui ult. & l. ad beſtias, eod. tit.

L. capitaliũ, de pœn.

L. aut damnum, § eſt pœna, de pœ.

L. 3 ad l. Juliam pecul. l. 2. de pœ. & novell. de his, qui nup. iterant. Cõſtitut. XXII.

habuit, ad exilium perpetuum, adnotata illi provincia, ubi manendum ſit. Et in his tribus pœnarum ordinibus publicabantur fiſco bona condemnati. Quod de bonis propriis, & paternis accipiendum fuit, non autem de illis, quæ a genere, a civitate, a rerum natura tribuebantur. Sic enim declarat Ulpianus. Juſtinianus vero utrumque mutavit optimis rationibus: ut nulla pœna ſervum faceret, multo minus auferret bona hæredibus, qui nihil deliquerunt. Quartus gradus continet pœnas, quæ ad exiſtimationem, & famam pertinent, propter corporalem coertionem, vel damnum cum infamia illatum in bonis. Et ideo hiſce pœnis neque libertas adimebatur, neque civitas, vel patrimonium totum, veluti relegatio ad tempus, vel in perpetuum, fuſtium admotio, dignitatis depoſitio, alicujus actus prohibitio, condemnatio in pecuniam famoſa. Hos gradus (nam de pœnis pecuniariis civilibus non loquimur) tractant nobiliſſimi Juriſconſulti Ulpianus, Calliſtratus, & Marcianus. Quo tempore itaque pœnæ capitales introductæ ſunt, abiit in deſuetudinem interdictio ignis, & aquæ, cui ſucceſſit deportatio, ut prædictum eſt. Qua ſublata, cum numerus provincia-

L. inter pœnas, de interdi. & releg. l. 1. & 2. de bon. damnat. per l. qui ultimo, de pœn.

In l. 3. de interd. & releg.

dict. novell. de his, qui nup. iterant.

In l. ſi quis forte, l. aut damnum, l. veluti, & l. relegati, de pœn.

ciarum ſub Imperio Romano in Auguſtum redigeretur, perventum eſt ad proſcriptionem, quæ etiam hodie cum capitalibus pœnis locum obtinet, ex æquitate ne an ſecùs neſcio. Sane ab omni prorſus humanitate alienum puto, publicare bona, & perſonas, quæ nihil deliquerunt, quibuſdam id requirentibus. Laudetur ergo, & ſummis laudibus efferatur vox illa magnifica Trajani. Scio (inquit) relegatorum bona avaritia ſuperiorum temporum fiſco vindicata, ſed aliud clementiæ meæ convenit, qui inter cetera quidem innocentia, ac ratione meorum temporum hoc quoque remiſi exemplum.

In l. 1. de interd. & releg.

NEG

NEC PASSIM, ET SINE DELECTU, NEC PRO ARBITRIO SUO JUDICES UTI ÆQUITATE DEBERE.

TITULUS QUINTUS.

EX Marcello accepimus potiorem debere eſſe in criminalibus cauſis decidendis æquitatem, non tamen hoc ita accipiendum eſt, ut Judex pro ſuo arbitrio ea utatur, modereturve. Sunt enim in politia civili, per quam regenda eſt hæc civilis ſocietas, gradus quidem honeſtatis obſervandi, quos ſi confundas in æſtimanda æquitate, efficies ex ſummo, atque optimo jure, ſummam, abſurdiſſimamque injuriam, etiamſi philautia quadam exiſtimes te acu rem tetigiſſe, & omnes expandiſſe circumſtantias. I. Apud omnes ab origine mundi gentes, primum æquitatis ordinem ſibi vindicavit religio: ut, quoties de negotio incidente plures concurrerent ſententiæ, ſemper præferretur illa, quæ religioni propius acce-

accederet, hoc eſt, pietati, & juſtæ erga Deum functioni pro noſtro munere. Sic enim religio, a reeligendo, quaſi debitum officium dicitur. Cicero. In ipſa autem communitate (ait) ſunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique præſtet intelligi poteſt, ut prima diis immortalibus: ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps reliqua reliquis gradatim debeantur. Quem etiam Pomponius noſter videtur expreſſiſſe. Veluti (inquit) erga Deum religio, ut parentibus, & patriæ pareamus. II. Reipublicæ proxima eſt ratio, ut id ſemper exiſtimemus fore æquius, quod ad publicam utilitatem propius accedit. Quintus Fabius maximus, ut eſt apud Ciceronem, cum augur eſſet dicere ſolebat: Optimis auſpiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ ſalute fierent. Quæ contra Rempublicam fertentur: contra auſpicia. Apoſtolus optat pro ſalute multorum anathema fieri. Adeo enim Reipublicæ conſideratio facit æquitatem, ut quod ſummo jure cenſetur homicidium, puniturque pœna talionis, id per æquitatem reputetur honeſtum, quoties ad publicum tendit commodum. Ideo Magiſtratus ſumit capitis pœnam. Pluris eſt enim univerſam multitudinem

Lib. Offic. 1.

In l. 2. de juſt. & jure.

In dialogo de Senectute.

Roma. 9. & 1. Corin. 10.

nem ſervare, quam unum, aut alterum. Servatur autem cum tollitur e medio, qui delicto ſuo minatur malum Reipublicæ. Quod & Ulpianus ſentit, cum definit pœnam, omnium delictorum coertionem. Ex diverſo. Summum jus ſæpe ordinat executionem pœnæ, & vult delinquentem tollere. Interim æquitas ſervat eum, quem valde putat profuturum Reipublicæ. Sed ſi ejus (inquit Paulus) roboris, vel artificii ſint, ut digne populo Romano exhiberi poſſint, Principem conſulere debent. Eo modo, propter Reipublicæ, & multitudinis ſalutem, ſæpe delictorum pœnæ remitti poſſunt. Eleganter autem Cicero ex Platone. Non nobis ſolum (inquit) nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici. Et poſt paulo: Sed cum omnia ratione luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum Republica eſt unicuique noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares. Sed omnes omnium caritates, patria una amplexa, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Juſtinianus. Sed quod communiter (ait) omnibus prodeſt, hoc rei noſtræ, privatæ utilitati

In l. aliud eſt fraus, de verb. ſignific. l. capitalium, §. famoſos, de pœnis, l. 1. C. ad l. Juli. repetund. L. ad beſtias, de pœn.

D. l. ad beſtias. Lib. 1. Offic.

 litati

L. 1 § ult. de caducis tollendis.

In l. ſi ita vulneratus, ad l. Aqu.

L. capitalium, §. famoſos, de pœ. l. ſi operis, C. eod.

litati præferendum eſſe cenſemus, noſtrum eſſe proprium, ſubjectorum commodum, imperialiter exiſtimantes: Julianus. Multa autem (inquit) jure civili, contra rationem diſputandi pro utilitate communi recepta eſſe, innumerabilibus rebus probari poteſt. Sane quemadmodum regulariter intereſt Reipublicæ puniri crimina; ita nonnunquam rationem delinquentium habere oportet æquitatis ratione. Poſtremus gradus eſt rerum privatarum, in quibus ſemper imitari oportet Anteſignanum illum æquitatis Prætorem Romanum, longa certe experientia prudentem, qui ſecutus eſt hujus artis abſolutiſſimum, perfectiſſimumque compendium iſtud: Quod quiſque juris in alium ſtatuerit, uti ipſe eodem jure utatur, probatum verbo Chriſti, *Omnia* (inquientis) *quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*. Ulpianus. Jus Prætorium, (inquit) quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam, quod & honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum. Sunt autem generaliſſima quædam præceptorum capita, ad colligendam æquitatem mirum in modum deſer-

In l. jus, autem civile, de juſt. & jur.
In §. adhuc autem, de bono. poſſeſ.

deſervientia. I. Ubi multæ juris rationes ad eaſdem facti circumſtantias concurrunt, & aliquo modo reſpondere videntur, ibi conferenda eſt æquitas cum æquitate, ut ſuperior cedat inferiori ſecundum gradus ſupra dictos. Africanus: Nam licet alioquin (inquit) æquum videatur, non oportere cuiquam plus damni per ſervum evenire, quam quanti ipſe ſervus ſit: multo tamen æquius eſſe, nemini officium ſuum, quod ejus, cum quo contraxit, non etiam ſui commodi cauſa ſuſceperit, damnoſum eſſe. In hac ſpecie major ratio vincit minorem, ſed non damnat. Sic qualitas facti cum talis eſt, ut quicquid conſtituas ex omni parte, non videatur ſatis conveniens: tunc oportet ſequi illud jus, quod minime lædit utilitatem publicam, Ulpianus: Quoties (ait) nihil ſine captione inveſtigari poteſt, eligendum eſt, quod minimum habeat iniquitatis. Julianus: Idque (inquit) conſequens eſt auctoritati veterum, qui cum a pluribus ſervis ita vulneratus eſſet, ut non appareret, cujus ictu periiſſet: omnes lege Aquilia teneri judicaverunt. Hinc ducitur regula: non minus ad conſervationem politiæ humanæ, civiliſque ſocietatis neceſſaria:

L. ſi ſervus communis, §. quod vero ad mand. de furt.

Arg. l. nam magiſtratus, de recep. arbi. l. ille, a quo, §. tempeſtivum, ad Trebel.

De reg. juris.

In d. l. ſi ita vulneratus.

H 2 Quod

Quod inter duas res honeſtas, præcedit honeſtior. Ulpianus: Satius eſt enim (inquit) de ſuo teſtatorem funerari, quam alios legata conſequi. Et poſt paulò: Quod ſi non poteſt (ait) melius eſt legatarium non lucrari, quam emptorem damno adfici. Et contra: Inter duo mala minus turpe eſt eligendum. II. Quoties facti extrema ad regulas juris collata, non admittunt definitionem commodam, quia ſenſus elicitur nimis durus in utramque partem, toties ex media quadam via oportet æquitatem colligere. Nam valde inhumanum eſt (inquit Antoninus) a nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & avariſſimum. Loquitur autem de Xeniis, quorum utrumque extremum relatum ad jus nimis ſtringitur, ſi vetes, rurſus ultra modum laxatur, ſi permittas. Quid ergo? Eligendum eſt medium, ut liceat xenia, & edulia eatenus accipere, ne producantur ad munerum qualitatem, hoc eſt, quæ faciliter conſumi poſſint. Hæc enim eſt æquitas, quæ ſic vult rem per medium temperari. Tali modo Ulpianus colligit æquitatem inter duo extrema temporis. Scilicet (inquiens) ita moderate, ut neque ipſi urgerentur ad bonorum poſſeſſionis petitionem,

In l. et ſi quis §. 1. de religio. & ſumpt. ſunt.

L. ſolent, §. ult. de offic. proconſ. & leg.

L. 1. §. largius tempus de ſuc. edic.

nem, neque bona diu jacerent. III. Ubi inter duo extrema nullum reperitur medium conveniens, ibi inter multa, quæ reſpectu propoſiti facti videntur dura, eligendum eſt id quod minimum habeat iniquitatis. Julianus loquens de ſervo mortifere vulnerato, qui, cum medio tempore hæres inſtitutus eſſet, ab alio iterum ictus deceſſit, ideoque non adiit, nec adquiſivit domino hæreditatem: Ejuſdem ergo (inquit) ſervi occiſi nomine, alius majorem, alius minorem æſtimationem præſtabit. Nec mirum, quum uterque eorum ex diverſa cauſa, & diverſis temporibus occidiſſe hominem intelligatur. Quod ſi quis abſurde a nobis hæc conſtitui putaverit, cogitet longe abſurdius conſtitui; neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius, quum neque impunita maleficia eſſe oporteat, nec facile conſtitui poſſit, uter potius lege teneatur. IV. Utile eſt præceptum, & late patens ad excutiendam æquitatem, quod Juriſconſulti diligenter obſervarunt, videlicet, ut unuſquiſque id facere teneatur, quod ſibi non nocet, alii autem prodeſt: etiamſi ratio ſummi juris eum non obliget. Exemplum eſt longe elegantiſſimum apud Paulum: qui loquens de aggere-

L. ſi ita vulneratus, §. final. ad l. Aquil.

In l. in ſumma, §. idem Varus, de aqua pluv. arcen.

in alieno agro vi aquæ dejecto, quem dominus agri aut debet reponere, aut pati, ut vicinus reponat, ne lædatur ab aqua decurrente: Qui factus (ait) mihi quidem prodeſſe poteſt, ipſi autem nihil nociturus eſt. Hæc æquitas ſuggerit, etiamſi jure ſtricto deficiamus. Cicero: Qua ex re (inquit) ſatis præcipit, ut quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia: Non prohibere aquam profluentem, pati ignem ab igne capere: ſi quis velit, conſilium fidele deliberanti dare. Quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta. V. Naturæ, & ſanguinis ratio multum confert ad cenſuram æquitatis. Cum enim multæ concurrunt regulæ legum, juſtiores cenſentur quæ ſanguini favent. Exemplum tractat Auguſtinus de eo, qui bona hæreditaria Eccleſiis donare voluerat, neglectis liberis. Nam etſi ſummo jure talis donatio defendi poſſet, noluit tamen ipſe auctor fieri. Et certe Paulus ille Apoſtolus Chriſti: Qui ſuis (inquit) & maxime familiaribus non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior. Ulpianus: Largius tempus (inquit) parentibus, liberiſque petendæ bonorum poſſeſſionis tribuitur

Lib. 1. Officio.

1. ad Tit. 5.

L. 1. de ſucc. edict.

buitur in honorem ſanguinis: videlicet, quia arctandi non erant, qui pene ad propria bona veniunt. Et hactenus quidem de gradibus in æquitate ſtatuenda neceſſario obſervandis dictum ſit; nunc id dicamus non paſſim, aut ſine delectu a jure ſcripto propter æquitatem recedendum eſſe. Sed tantum cum circumſtantiæ requirunt: quæ maxima differentia eſt, per quam diſcernimus æquitatem a ſummo jure. Æquitas enim ſemper in circumſtantiis facti verſatur. Siquidem de hypotheſi, hoc eſt de ſimplici aliqua cujuslibet cauſæ materia, ſatis poteſt per legem in univerſum præſcribi, ſed de omnibus, quæ incidere ſolent, qualitatum figuris recte ordinari in ſpeciem, ſuperat omnem hominum prudentiam. Natura enim immenſitas quædam rerum, & negotiorum comparata eſt. Nec de omnibus etiam paſſim circumſtantiis æquitas vult curioſos eſſe Magiſtratus, & Judices, ſed de illis duntaxat, quæ ad honeſtatem vitæ hujus tranſigendam aliquid conferunt, quales verſantur in commerciis hominum. Sicut enim per normam judicantur ſtructuræ vitia, ſic æquitas de humanis moribus dijudicat. Quare omnes juris ſanctiones oportet exigere ad æquitatem,

L. natura enim, de præſcrip. verb. Juſtinianus novel. de his qui ingre. ad appel.

tem, contra quam quicquid decernitur, etiamſi prima fronte ſpecioſiſſimum videatur, non poteſt tamen non fœdiſſimum eſſe, & humanæ ſocietati perniciosum. Sed de circumſtantia quid ſit, & quotuplex dicamus.

QUID

QUID SIT CIRCUMSTANTIA, ET QUOTUPLEX.

TITULUS SEXTUS.

CIrcumſtantias, quas Græci periſtaſes appellant, enumerat Juriſconſultus ſeptem. Cauſam, perſonam, locum, tempus, quantitatem, qualitatem, & eventum. Aliquis non inepte comprehendit hoc verſiculo: *In l. aut facta, de pœn.*

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Quis, ſignificantiam habet perſonæ, quæ ſpectatur duobus modis, ex nomine, & qualitate. Ex nomine, hoc modo: quis? Camillus. C. Marius, L. Sylla. Ex qualitate, quis? dives, & pauper, & Imperator. Eſt autem definita in nominibus, infinita in qualitatibus perſonarum perſpectio. In appellationem nihil, præter nomen, cadit. In qualitatem vero & fortuna, & ætas, & conditio, & diſciplina, & cetera, quæ ſunt numero infinita: Quid, ſignificantiam habet rei, quæ facta ab aliquo, vel dicta, vel cogitata: fieri, dici, factum iri, dictum iri, cogitatum iri videa- *Quis.* *Quid.*

videatur, bona, vel mala, honeſta, vel inhoneſta, juſta, vel injuſta, utilis, vel contra, neceſſaria, vel non, parva, vel magna, uſitata, vel nova.

Quando. Quando, temporis ſignificationem habet, velut interdiu, ac noctu, ſacro, an irreligioſo die. Et ex accidentibus, quæ interdum dant tempori ſuam qualitatem, velut in belli tempore, an in pacis tempore, in ſeditione, an in concordia, in libertate, an in dominatione, & ſi qua in eundem modum cadere poſſunt.

Ubi. Ubi, loci habet ſignificationem, veluti in civitate, an extra, in ſacro loco, an in profano, in mari, an in terra.

Cur. Cur, ſignificat cauſam faciendi, vel dicendi, vel cogitandi rem (ut mea fert opinio) ad conſtituendam quæſtionem imprimis neceſſariam:

Quemadmodum. Quemadmodum, ſignificationem habet ex facto, vel quod fiat, futurumve ſit, veluti clam, palam, per vim, per dolum, & ſi qua ſimilia in eumdem modum cadunt.

Adminicula Adminicula, demonſtrationem habent earum rerum, per quas factum eſſe aliquid dicitur, ut eſt laqueus, gladius, venenum, literæ, internuncius, mandata, ſervus, conſcius, ſicarius.

Lib. 3. ſuar. Inſtitut. Fabius Quintilianus non facit inter tria poſteriora prædicamenta, quorum ipſe nomen enu-

enumerat, & circumſtantias, diſcrimen. Imo prædicamenta, quæ elementa vocat, non aliter quam circumſtantias tractandas docet. Ego non infrugiferum eſſe puto, ſi diſcrimen etiam addidero. Prædicamentum, & circumſtantia meo judicio in hoc diſtant: Prædicamentum eſt accidens in abſtracto a ſubſtantia ſeparatum, id quod tum ſit, cum naturam, & eſſentiam ipſius, vel definiendo, vel dividendo quærimus, ut tria, quádrans, hemina, & prudentia, metus, albedo, &c. mancipatio, libertas. Atque hæc eſt Idea illa Platonica, de qua tam varia a majoribus ſcripta ſunt: quam Plato dixit eſſe perpetuam. Circumſtantia vero eſt accidens in concreto, atque adeo ſubſtantiæ inhærens, ut tres tutelæ, quadrantalis hæreditas, heminalis cantharus, &c. Prudens Brutus, meticuloſus Paris, albus paries, &c. Mancipium Stichus, pubes Sempronius. Magnus autem eſt circumſtantiarum uſus, magnum officium, ut erudite docet Melancthon, ut varient ſcilicet non ſolum dominium, & obligationem, ſed & omnia, quæ in legibus ſunt. Atque de his audiamus etiam Claudium Saturninum graviſſime differentem, exemplisque appoſitis illuſtrantem, & inſignibus. IN

In ſua Rhetorica.

Digitized by Google

IN LEGEM AUT FACTA

TIT. PANDECTARUM

DE PŒNIS

PRÆFATIO.

Novel. de his qui ingred. ad appel.

R*Ecte Juſtinianus Imperator: Fluxa ſane illa (inquit) rerum humanarum conditio, quæ nullo unquam iiſdem poteſt inſiſtere veſtigiis, & quum ſemper exiſtat, non ſemper tamen permanet : tum legislatoribus quandam in ferendis legibus perturbationem importat : tum quod recte ſe habiturum judicatum eſt, quodque firmiter jam collocatum videtur, & exquiſita obſervatione munitum, ſæpenumero emergentium denuo cauſarum varietas permovet. Porro, voluntas omnium legum hæc eſt : ut interdum cedant temporibus, ſecundum qualitatem rerum, & perſonarum : ita tamen*

ut

ut alia ratio juris ſuperior regat actionem. Quod æquitas ipſa ſuadere videtur: ut nimirum diligenter examinatis cum incidunt circumſtantiis jus unicuique ſuum celeriter tribui poſſit, neve confundantur omnia in hac civili ſocietate, in qua concentum quemdam, & veluti membrorum in homine conglutinationem, & conjunctionem (ſi modo omnes fratres ſub uno Patre Chriſto eſſe volumus) exiſtere neceſſe eſt. Hoc, *ut prævidérunt ſapientiſſimi noſtri illi veteres Juriſconſulti, ita etiam ſedulo nos ſcriptis ſuis admonuerunt. Pomponius referente Paulo, pro perſonarum qualitate (inquit) & actio formatur, & condemnatio moderatur.* Ulpianus: *Hoc autem (ait) æſtimare oportet eum, qui jus dicit, pro conditione cauſæ, vel perſonæ, vel temporis: & ita ordinem edictorum, & compendium moderari. Alfenus: Reſpondi (inquit) in cauſa jus eſſe poſitum.* Ulpianus: *Non ſemper autem*

In l. Pomponius, lib. 26. de negot. geſt.

In l. nonnunquam autem, de judiciis.

In l. ſi plagis, §. in clivo, ad leg. Aquil.
In l. jusjurandum, & ad pecunias, de jurejur. in l. Pedius, de incend. rui. naufr.

autem (inquit) eſt conſonans, per omnia referri jusjurandum, quale defertur: forſitan ex diverſitate rerum, vel perſonarum quibuſdam emergentibus, quæ varietatem inducunt. Paulus: Et omnino (ait) ut in ceteris, ita in hujuſmodi cauſis, ex perſonarum conditione, & rerum qualitate diligenter pœnæ ſunt æſtimandæ: ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa poſtulabit. Ex quibus apparet, quantum referat bono non ſolum Judici, ſed etiam omnibus his, qui & in ſcholis, & in foro jura tractant, noſſe circumſtantias, earumque rationem cum incidunt habere, ad retinendam, & conſervandam Chriſtianæ hujus Politiæ columitatem, & ordinem hac in parte neceſſarium, ut præmia bonis proponantur eos ad majorem virtutem invitantia, malis vero & Rempublicam perturbantibus pœnæ acerbiſſimæ. Sunt enim hæc duo vel præcipua, quibus contineri

In l. de juſtitia, & jure.

ri

ri eam aſſerebat optimus ille Civitatis, Legumque inſtitutor Solon: cujus rei etiam meminit Horatius: In Epiſtolis.

Oderunt peccare boni virtutis amore;
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Hodie (proh dolor!) nec præmia bonis, nec pœnæ quantumvis etiam improbiſſimis proponuntur. Quales etiam habemus Reſpublicas? quos cives? quos gubernatores, & rectores? Proinde ſic vivendum nobis nunc arbitror, ut ſemel nos cum alio inſaniviſſe teſtemur: cum ad honores, dignitateſque properamus, quæ omni vitiorum genere affectis hominibus conceduntur, ſi modo divites ſint, aut etiam bene norint adulari, ſic:

Et genus, & formam Regina pecunia donat.
O miſeras hominum mentes! O pectora cœca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantiſque periclis

Degi-

Degitur hoc ævi quodcumque eſt.

Quanquam hoc mirum non eſt. Oportet enim omnes quotquot pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem pati: tantum abeſt, ut ad honores eos Chriſtus ſeculares vocet, quod & ipſe primus contempſit. Ceterum quicquid hac in parte erratur, provenit non aliunde quam ex circumſtantiarum craſſa quadam, nimiſque ſupina ignoratione. De his autem quantum ad propoſitam materiam attinet graviter hoc in capite Claudius Saturninus: cujus verba prius ſubjiciemus: deinde notis quibuſdam ex libris etiam noſtris Quindecim Lectionum extractis, aperiemus, pro ingenioli noſtri viribus diligenter, ſummaque cum fide.

CLAU-

CLAUDIUS
SATURNINUS
LIBRO PANDECTARUM
QUADRAGESIMO OCTAVO

CAPITE XVI.

TIT. DE PŒNIS.

AUT facta puniuntur, ut furta, cædeſque: aut dicta, ut convicia, & infidæ advocationes: aut ſcripta, ut falſa, & famoſi libelli: aut conſilia, ut conjurationes, & latronum conſcientia, quoſque alios ſuadendo juviſſe ſceleris eſt inſtar. Sed hæc quatuor genera conſideranda ſunt ſeptem modis: cauſſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu. Cauſſa, ut in verberibus, quæ impunita ſunt a magiſtro allata, vel parente: quoniam emendationis, non injuriæ gratia viden-

tur adhiberi; puniuntur, cum quis per iram ab extraneo pulſatus eſt.

Perſona dupliciter ſpectatur: ejus, qui fecit: & ejus, qui paſſus eſt; aliter enim puniuntur ex iiſdem facinoribus ſervi, quam liberi: & aliter, qui quidquam in dominum, parentemve auſus eſt, quam qui in extraneum, in magiſtratum, vel in privatum; in hujus rei conſideratione ætatis quoque ratio habeatur. Locus facit, ut idem, vel furtum, vel ſacrilegium ſit: & capite luendum, vel minore ſupplicio. Tempus diſcernit emanſorem a fugitivo: & effractorem, vel furem diurnum a nocturno. Qualitate, cum factum vel atrocius, vel levius eſt: ut furta manifeſta a nec manifeſtis diſcerni ſolent, rixæ a graſſaturis; expilationes a furtis, a violentia petulantia; qua de re maximus apud Græcos orator Demoſthenes ſic ait: Οὐ γὰρ ἡ πληγὴ

παρέ-

παρέστησε τὴν ὀργὴν, ἀλλ᾽ ἡ ἀτιμία: οὐδὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶ δεινὸν (καί περ ὂν δεινὸν) ἀλλὰ τὸ ἐφ᾽ ὕβρει. πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὧν ἔνια ὁ παθὼν οὐδ᾽ ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιθ᾽ ἑτέρῳ, τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόῤῥης. ταῦτα κινεῖ. ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους, ἀήθεις ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι. Quantitas diſcernit furem ab abigeo; nam qui unum ſuem ſubripuerit, ut fur coercebitur: qui gregem, ut abigeus. Eventus ſpectetur, ut a clementiſſimo quoque facta: quanquam non minus lex eum, qui occidendi hominis cauſſa cum telo ferit, quam eum, qui occidit, puniat; & ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, ut apud præcipuum Poetarum ſcriptum eſt:

Εὖτ᾽ ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ ὀποέντος

ἤγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς,
ἤματι τῷ, ὅτε παῖδα κατέκτανον ἀμφιδάμαντος,
Νήπιος οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Evenit, ut eadem ſcelera in quibuſdam provinciis gravius pleĉtantur: ut in Africa meſſium inciſores, in Myſia vitium, ubi metalla ſunt, adulteratores monetæ.

Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit.

IN EANDEM LEGEM NOTÆ

Ex Libris Quindecim Lectionum

PER JOANNEM ROGERAIUM TROCHÆUM PARISIENSEM.

Aut facta puniuntur.) Propoſitio eſt generalis totius legis hoc continens : quicquid delinquitur ab homine, aut factum, aut dictum, aut ſcriptum, aut vero conſilium appellari. Habet autem pulchram, & elegantem antitheſin factorum ſcilicet, quæ corpore perpetrantur, & dictorum, quæ verborum turpitudine, & fœditate admitti ſolent. Sed hoc mirum eſſe poteſt : quare Juriſconſultus tanta verborum molle uſus ſit neglecta brevitate, quæ proprie ad Juriſconſultos pertinere dicitur. Verbum enim facere generale eſſe, & omnia alia hoc loco enumerata complecti nemo ſanæ mentis dubitat. Idcirco a Papiniano ſcriptum eſt in hunc modum : Facere verbum generalius eſſe, quam gerere. Omnem enim omnino faciendi cauſam complectitur, dandi, ſolvendi, numerandi, judicandi, ambulandi. Item faciendi verbo, redden-

In l. verbum facere de verb. ſignif.

 di

Ibidem. In l. extat, de eo, quod met. cau.

di etiam continetur teſte Pomponio; & extat etiam elegans exemplum. His accedit quod dicimus ſcriptum non puniri, ſed hominis nequiter ſcribentis factum. Unde etiam omnes actiones pœnarum perſecutoriæ, alias dicuntur, ex facto, vel in factum, alias ex re, id eſt, ex ipſo maleficio. Facilis autem huic quæſtioni reſponſio eſt. Voluerunt ſiquidem Juriſconſulti ita nobis aperta omnia relinquere, ut nihil reliqui facerent, de quo vel dubitari, vel controverti poſſet, quod oſtendunt eorum ſcripta tam eleganter, tam concinne, tam aperte, breviterque conſarcinata. Ex quorum numero eſt & iſtud ſumma laude ſemper commendandum Claudii Saturnini reſponſum, in quo, quod generalibus verbis efferre poterat, atque eloqui, maluit tamen ſpecialibus verbis appoſitis deſignare, ut tanto clarius inſinuaret ſtudioſis delictorum, & pœnarum varietatem, materiam longe omnium, quæ in Jure noſtro Civili ſunt ut utiliſſimam, ſic etiam difficillimam, per cauſas materiæ nimirum, & formæ: At ecce, nulla nunc frequentior eſt controvertendi occaſio, quam quæ ex Juriſperitorum altercationibus introducitur: Habet enim unuſquiſque, habet magnam totius

L. ex maleficio, & l. actionum genere, de action., & oblig.

rius civilis ſocietatis contumelia, ex tam multis legum interpretibus aliquem, qui ſuis adfectibus deſerviat, & patrocinetur, ſive adſerere voluerit, ſive negare impudens calumniator. Sic fit ut Juriſprudentiam, qua ſola in Chriſtiana Republica tranquillam vitam agere deberemus, in diverſum plane torqueri, ad oppugnandum hominum ſocietatem, & concordiam, conniventibus oculis videamus omnes. Et ſane juris noſtri finis iſte eſt excellentiſſimus vel antevertere, vel celeriter dirimire propoſitas controverſias.

UT FURTA.) Quandoquidem obſcurata eſſet in hominibus naturalis notitia, propter originis vitium: voluit etiam miſericors Deus viva voce eam renovari, atque in tabulas lapideas deſcribi, ut certum extaret teſtimonium, has eſſe naturæ leges verbo Dei confirmatas, quas in animis hominum quoque inſculpſiſſet. Recte igitur ex Demoſthene legem donum, & Inventum Deorum eſſe memoriæ prodidit. Sane cum natura inter homines cognationem quandam conſtituerit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe. Sed quando natura in nobis conſtuprata proniores multo ſumus ad malum, quam

Martianus in l. 2. de legib.

Google

ad bonum, ad inſidiandum proximo, quam ad proſpiciendum: ideo optima ratione ſummo Dei optimi beneficio Juriſconſulti leges naturæ imitati, quæ dictant, non eſſe faciendum alteri, quod nobis fieri nolimus, ſtatuerunt quædam præcepta, quæ ſi tranſgrediantur homines, graviſſime puniri oporteat. Idque eſt quod ſubindicavit Papinianus legem vocans delictorum, quæ ſponte, vel ignorantia contrahuntur coertionem. Extat Titulus in Pandectis de furtis, ubi quid furtum ſit, quot ejus ſpecies, qua ratione prohibitum graviter deſcribitur a Juriſconſultis. Quare non poſſum non mirari inſaniam quorundam phanaticorum hominum communionem omnium rerum neceſſariam eſſe exiſtimantium. Primum enim Chriſtus vult in ſudore vultus ſui veſci quemlibet Chriſtianum, laboreſque manuum ſuarum manducare, ut beatus tandem eſſe poſſit: quod ſane non fieret, ſi omnia ex eorum animo haberemus communia: omnes ſiquidem tunc vitam otioſam, & belluinam verius ducerent, tantum abeſt, ut laborare cuperent. Recte autem hujuſmodi homines refellit doctiſſimus vir, & religioſiſſimus Conradus Lagus, & nos aliquando in illos inveximus latiſſime. Nec aliud præſefert hujuſmodi apud Juriſcon-

In l. 1. de legib.

In Methodica juris. Lib. 4 contractæ Juriſprudentiæ.

conſultos noſtros tam longa, & prolixa de furtis tractatio, & urgens prohibitio: quam & Chriſtus præceptis ſuis inſeruit. Septimum ſiquidem ejus præceptum eſt in hæc verba conſutum: ***Furtum non facies***, hoc eſt, non eripies aliorum fortunas, neque ulla fraude ad te transferes, aut ſi apud te ſunt, non contrectabis invito domino. Unde rectiſſime dixit Paulus: furtum naturali lege prohibitum eſſe admittere, de quo etiam lex XII. tractat. Quid quæſo aliud hæc verba volunt niſi oſtendere rerum omnium communionem pugnare cum natura. Nam ſi omnes res nobis ſecundum naturam eſſent communes, hoc eſt, ita unius ſicut alterius: non poſſet committi furtum contra naturam: quia concederentur jure occupanti, ut etiam nunc habemus quaſdam res communes, quæ furtum non admittunt, quoniam furtum committitur duntaxat in rebus alienis, vel alieni juris clam domino. Statuitur igitur legitima rerum, & dominiorum diviſio, ut unuſquiſque ſuum habeat, ſitque ſua ſorte contentus: quod Ariſtoteles eleganter, ac omnes Romani Juriſconſulti probant, rejecta Platonis falſiſſima opinione, quam & nunc quidem phanatici, ut diximus, videntur am-

In l. 1. de furtis, in tit. XII.

amplecti, de communione rerum inter homines retinenda. Quo nihil perniciosius ad concitandam seditionem dici poteſt. Siquidem naturale judicium facile ſentit fieri non poſſe, ut homines inſatiabili quadam cupiditate corrupti, fruantur communiter rebus omnibus. Dictat enim iniquum videri: quod ignavi, & deſides alantur alieno labore, cum quemlibet deceat in ſudore vultus comedere panem ſuum, ut ſupra quoque retulimus. Ideoque proſpicit naturæ ratio futurum eſſe, ut nulla pax, vel tranquillitas in ſocietate hominum retineri poſſit, permiſſa communione, ſecundum quam rapiat quilibet, & abutatur ſuo arbitrio alienis fortunis. Sic intelligi debet Hermogenianus: Ex hoc jure gentium (inquiens) introducta ſunt bella, diſcretæ gentes, regna condita, dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes inſtitutæ, exceptis quibuſdam, quæ ex jure civili introductæ ſunt: ubi gentium jus intelligi oportet, non pro humana tantum auctoritate, ut alibi, ſed pro communi ſenſu, ſeu intelligentia hominum, ut Cicero appellat, ſeu communi judicio

In l. ex hoc jure, de juſti. & jur.

dicio rationis, hoc eſt, pro jure naturali, & divino. Huc pertinet Pomponii regula: Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium non poſſe transferri. Enimvero non ſolum hic contrectatio rei alienæ clandeſtina, ſed omnis iniqua occupatio prohibetur, & habet hæc naturæ lex radices latiſſime patentes adverſus hominum avaritiam nihil non machinantem. Quocirca & huic delicto variæ ſunt, & diverſæ olim a majoribus noſtris conſtitutæ pœnæ, & crediderim in nullo delicti genere toties mutatam eſſe pœnam, de qua ſupra in Lege Marcelli admonuimus ex Gellio. *Lib. xi. cap. 18.*

CÆDESQUE.) Huc pertinet & aliud Chriſti præceptum: *Non occides*, quod plerique non intelligentes ſatis ei ſe feciſſe putant, ſi neminem re ipſa, & facto vita privarint: Sed hoc non tantum deſignat, vel a nobis requirit. Ergo ut corporis læſionem prohibet, ita & famam proximi, ne ulla eum afficiamus injuria, non inſidiemur ei velut vulpecula, ſed juvemus potius, & adſimus ei in omnibus periculis quantum poſſibile erit. Latiſſima ergo eſt hæc vox homicidium, vel cædes; omnem omnino injuriam, & damnum, quod proximo inferri poteſt, complectens, & homi-

minum ſocietatem quomodolibet corrumpere, aut turbare. Quare & de his etiam pœnæ a legislatoribus ſunt conſtitutæ magno omnium commodo. Cum enim natura, ſeu Deus velit eſſe ſocietatem quandam, & cognationem hominum: ea non poteſt conſervari, ſi nemo adverſus injurias tutus ſit. Unde ex hac lege conceditur defenſio magiſtratui, & puniendi poteſtas adverſus malos: ut Florentinus quoque ſentit naturali ratione: & hinc promanarunt omnes Leges de variis pœnarum ſpeciebus aliquid ſancientes, ne ſint majores, aut minores, quam delicti qualitas exigit. Inter quas nulla ad naturam propius accedit pœna talionis, ut Ariſtoteles quoque probat, & in Legibus XII. Tabularum fit mentio: quam utinam hodie retineremus. Nec enim tunc daret veniam corvis cenſura vexans columbas, ut alter dicebat non minus vere, quam eleganter.

L. ut vim, de juſti. & jure.

In Politicis.

Tit. XI. extat valde cõcinnus locus. In tit. quod quiſ. jur. in Pandect. De homicidiis, eſt in Pandect. & C. ad l. Cornel de ſicar. De injuriis vero aliiſque delictis noti ſunt loci.

AUT DICTA, UT CONVICIA.) Verbis nonnunquam tantum delinquunt homines: verbi gratia, cum aliquem furem, Lutheranum, homicidam, & cetera id genus appellamus: quod vitium quaſi mulieribus innatum eſt, & peculiare. Ceterum convenit etiam hominis famam ſartam tectam a Judici-

dicibus, & Magiſtratibus conſervari, quapropter etiam neceſſarium fuit pœnas in maledicos hujuſmodi homines decernere, eoſque vel graviſſime punire ſecundum convicii, & injuriæ qualitatem, recte perpenſis, & examinatis circumſtantiis. Convicium autem, a vocum concertatione, quaſi convocium dici, Labeonis ſententia eſt: quam Alciatus adverſus Vallam defendit, monetque per *c* convicium, non per *t* ſcribendum. Obſervandum autem hic quoque eſt, quod ſicut is actione injuriarum tenetur, qui convicium palam fecit: ita & eum, qui ſub doli verbis dicit, magno dolore ſe affici, quod furti ſis damnatus, ægre ferre, quod publicam pecuniam expilaris, & ſi qua ſunt his ſimilia.

Et infidæ advocationes.) Advocatus eſt, qui jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam accommodat amico. In his maxima requiritur fidelitas, ut reum in judicio conventum adverſarii ſui malignitate, & perfidia, quantum in ipſis eſt, defendant, & tueantur, ne innocens, aut in fortunarum ſuarum, aut in capitis diſcrimen veniat. Horum Imperator officium commendat, dignitatemque habere dicit maximam. Sed quoniam nihil in hac mundi machina, tam præ-

In l. advocati, C. de advo. diverſ. judic. quam in dialogo de perfecto Ju-

riſconſ. explicavimus. præclare inſtitutum eſt, quod non aliquando in pravam degeneret ſpeciem, niſi diligenter intendas (ſunt enim, ut præclare dixit Imperator, divinæ quidem res perfectiſſimæ : humani vero juris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt in eo, quod ſtare poſſit perpetuo) factum eſſe etiam hodie videmus, ut pro veris, & germanis, ſeu Juriſconſultis, ſeu Advocatis ementitios, malos, & infidos habeamus, qui clientes ſuos fallant, prodantque omnino : tantum abeſt, ut tueantur, aut ſi tuentur, id fit ſpe lucri, & quæſtus, nimirum cum hunc judicant divitem eſſe, tantiſperque litem reddunt immortalem. Sed Ovidius ſic:

Conſtit. Pandec. 3. § ſed quia.

Lib. 1. Amo.

Turpe reos empta miſeros defendere lingua,
Quod faciat magnas triſte tribunal opes.

Advocatum malum, ſeu infidum ſolent dicere formularii genus hominum, ut quidem ait, perniciosum, qui patiatur intra decem annos litem conteſtari cum tutore, aut curatore, ut eſt apud Speculatorem miſerabile de quodam Uberto exemplum. Atque utinam tales non nutriat ætas noſtra, ſed tanquam Reipublicæ nocentiſſimos devitet. Apud antiquos hujuſ-

In titul. de excep. § viſo quando excep.

huiuſmodi pœna illis irrogabatur, ut advocatione, & foro illis interdiceretur, hoc eſt, prohiberentur ab officio advocandi. Foro tamen plus eſt, quam advocationibus interdicere. Siquidem huic omnino forenſibus negotiis accommodare ſe non permittitur, Auctore Ulpiano. Et Papinianus auctor eſt, Imperatorem Titum Antoninum reſcripſiſſe, eum, cui advocationibus in quinquennium eſſet interdictum, poſt quinquennium pro omnibus non poſtulare prohiberi. Hodie infidis advocatis, quales multos eſſe conſtat, nulla eſt pœna propoſita, imo conniventibus oculis Judices, & Magiſtratus intuentur, improbaſque, & infidas eorum advocationes tolerant. Nec mirum profecto, nam nec lupus lupum devorat, vel odit. Sed interim caveant ſibi a ſupremo Judice Chriſto, a quo nulla omnino eſt provocandi ad alium fiducia, qui hominem intus, & in cute novit, nec falli unquam poteſt. Clamantis hic ſane juſtorum ſanguinis tandem, & optimus, & fidelis vindex erit.

In l. moris, de pœnis. In l. Imperator, de poſt.

AUT SCRIPTA, UT FALSA.) Falſum accipitur tribus modis. I. Quicquid non eſt verum, poteſt dici falſum, etiamſi non procedat ex mendacio alicujus vel fraude. II. Falſum acci-

L. ſi is qui ducenta, §. utrum, de reb. dub. l. ſi quid perfectum, de

ſolut. Novel. de inſtru. & fide, in prin.

accipitur pro imminutione veri fraudulenta. Quomodo omnia mendacia recte vocantur falſa. III. Eſt grave crimen, quod appellatur falſum: quoties animi dolum ſequitur facti executio ad pervertendam veritatem, & ſimulandum id, quod non eſt. Sic enim id, de quo hic quoque loquimur, Paulus graviter deſcribit. Unde falſo adverbium, quod vero contrarium eſt: Imperator Philippus: Luminibus (inquit) captum curatorem haberi debere falſo tibi perſuaſum eſt, Claudius: falſo, ait, aſſeveratur, auctoritatem reſcriptorum revoluto ſpatio anni, obtinere firmitatem ſuam non oportere: Hinc falſa ſententia dicitur, ſine ulla injuria judicis, quæ falſis, & non veris allegationibus, vel inſtrumentis dicta fuerit: quæ ne nomen quidem ſententiæ meretur, ac ſine ulla reſtitutione confutanda eſt, detecta falſitate: Cur enim ipſa veritas per ſe ſe non explodat falſitatem: Ceterum hujus falſi proprie ad delictum pertinentis exempla videre potes inſignia, & qua pœna caſtigatum, apud Julianum: nam & falſum, ſi ad jus referatur, non ad factum injuriæ verbum non cenſebitur. Sic ſententiam Labeonis Jabolenus quaſi injuſtam rejiciens: Quod falſum (inquit) puto.

In l. quid ſit falſum, ad l. Corn. de falſ.

In l. 3 C. qui da. tut. poſſ.

Cod. de diver. reſcript.

L. ignitis, de except.

In l. 2. ad l. Cornel. de falſ.

In l. penult. de injuriis.

Et

Et famoſi libelli.) Famoſum, vocabulum medium, in malam tamen partem frequentius. Imperator cum laude utitur. Secus Juriſconſulti. Nam apud eos legimus famoſos fures, latrones, mulieres, pro infamibus improbioribus, impudicis. Hinc famoſa actio, quam cliens contra dominum intentare non poteſt, & famoſæ actiones dicuntur, quæ juſtam ignominiam irrogant juſte condemnatis: cujuſmodi eſt actio Furti. Bonum raptorum, Injuriarum, de dolo malo, Item Tutelæ, Mandati, Depoſiti, ſcilicet directa non contraria, & generaliter omnium publicorum Judiciorum accuſationes, inter quas & famoſi libelli continentur, ut recte ſenſit Alciatus. Miror autem non diligentius, & gravius animadverti in hujuſmodi homines, qui famoſis libellis famam hominis, quantumvis probi, juſti, & innocentis ita laceſſunt, ut nihil ei innocentiæ, vel probitatis reliquum faciant. Si quis Ulpiano auctore librum ad infamiam alicujus pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine, &c. hac Lege Cornelia tenetur, cujus crimen maximum eſt, & pu-

In §. jura quoque, in novel. Juſtin. quod præſtat. ab his qui ad.

L. 3. §. 1. de offic. præfect. vig. l. neq. famoſi, ad l. Jul. majeſt. L. capitalium, §. famoſos, & l. fin. de pœn.

§. ex quibuſdam, Inſtit. de pœn. tem. litigan. In l. hæc ſtipulatio, de verb. ſign.

L. 1. & 2. de publ. judic.

publicum. Cornelius Tacitus libro primo hiſtoriarum in hanc rem multa eleganter. Itaque famoſum libellum adverſus Innocentem ſcribens, plectitur capite convictus ſecundum leges. Quanquam jus Pontificum neſcio qua ratione verberari tantum, ſeu flagellari velle audio. Sunt hodie nonnulli, qui ita hujuſcemodi famoſis ſcriptis delectantur, ut malint mortem oppetere, quam a conviciis abſtinere, præſertim in explicatione Evangelii: nec intelligere poſſunt quam hoc abſonum ſit, Deoque odibile, & ab officio miniſtrorum verbi Dei alienum.

L. ſi quis, C. de famoſis libell. l. ob carmen, de pœni. 5. quæſt. 1. ca qui in alterius. Vide in hanc Oldendorpium, ad l. diffamari, C. de inge. ma.

Aut consilia, ut conjurationes.) Conſilium hic appellat J. C. aliquid faciendi, non faciendive excogitatam rationem. Inde Conſiliarius, qui dat conſilium, dicitur. Hoc etiam ſenſu trito fertur hoc ſermone proverbium: Malum conſilium conſultori peſſimum. Sæpe enim incidunt in foveam, quam parant aliis mali conſiliarii. Nam alioqui regulariter conſilii ſui pœnam nemo patitur. Ulpianus: Conſilii non fraudulenti nulla eſt obligatio. Ceterum ſi dolus, & calliditas interceſſit, de dolo actio competit. Cajus: In rebus (inquit) non adeo turpibus conſilium non

L. ſæpe, in ff. de verb. ſignific.

L. conſilii, de regu. jur.

non punitur. Ceterùm cum juris naturalis hoc ſit, ut Deum adoremus, patriæ vero, & parentibus pareamus magnum; & crudele crimen debet videri, ſi quis Antichriſtum pro Chriſto adoret, illique ſidat quod multi hoc tempore faciunt, etſi ignorantia obcæcati, nonnulli malignitate etiam ducti, & pertinacitate; ſi quis parentibus interminetur nedum inſerviat, vel eos honoret, ut Chriſtus quoque præcepit: ſi quis in patriam conſpiret, & conjuret, nedum ei etiam ſuppetias, opemque ferat. Quemadmodum feciſſe olim Lucium Catilinam in urbem Romanam ſcribunt hiſtoriæ, & extat eà de re elegantiſſima Ciceronis contra Catilinam oratio. Propterea contra legem, quæ vetabat cives Romanos capite non puniri, capitis pœna illis eſt irrogata, nec ſine ſummo Ciceronis ornamento, laudumque acceſſione. Videbat enim pro illa tot tantoſque viros egregios non dubitaſſe mortem oppetere, qui adhuc quotidie celebrantur apud poſteros, quam ipſe exterminare, & cujus gloriæ tenebras adferre nitebatur nequiſſimus Catilina. Proinde & graviſſimæ pœnæ contra hujuſmodi conjuratores ſunt ſtatuendæ, acerbaque decernenda judicia, & in hanc partem vi-

L. 3. de his qui not. infam. l. mandatum, §. ult. mand.

gilare debent Judices, & Magiſtratus, ne ex talibus conjurationibus vel Regnum univerſum, vel quædam etiam ampliſſima civitas, damnum aliquod, aut incommodum patiatur inevitabile. De privatis conjurationibus idem judicium eſt, cujuſmodi ſunt Monopolia, quæ a Mechanicis iſtis in venditionibus mercium exercentur: ſub ſpecie, & prætextu religionis, officiique (ut vocant) Divini, a non multis annis per excellentem bonæ memoriæ Regis Franciſci Valeſii conſtitutionem ſublata, ſed nunc neſcio quo malo genio ab inferis veluti revocata. Quid enim hoc eſt, aut quale exiſtimandum monopolium: niſi quædam in totam Rempublicam conjuratio, & conſpiratio eſt? Quapropter publice ſocietatis diſturbationem, & turpitudinis inter eos communionem rectius nonnulli appellarunt, quam ſocietatem, quam optima ratione prohibuerunt Imperatores. *In l. 1. C. de monopol.*

Et latronum conscientia.) Conſcientia nihil aliud eſt, quam ſecretum, & infallibile facti noſtri judicium, & mille teſtes, ut dici ſolet. Cum inſculpſerit nobis Deus notitias, & leges naturales per creationem: remittit nos ad conſcientiam, quam ſcit ita formaſſe, ut dictaret omnia

omnia facienda, & vitanda, incipiens primum a ſeipſa. Huc pertinet illud Chriſti, in ſe complectens ſummam divinorum præceptorum, memorabile verbum: *Omnia quæcumque volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*. Hoc gentes etiam, per induſtriam innatam cognoverunt: ut Oldendorpius meus monuit: allegans titulum Pandectarum: Quod quiſque juris in alium ſtatuerit, ipſe eodem jure utatur. Et illud quoque referre poteris, quod a Socrate ſummo illo Philoſopho manaſſe ferunt: *Noſce te ipſum*. Quam ſententiam ſic eleganter reddidit Horatius admonitione lepidiſſima:

In variis lectionibus.

1. Serm. Satyr. 3.

Denique te ipſum
Concute num tibi quid vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala, namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Puto ergo hic latronum conſcientiam a Juriſconſulto appellari, confeſſionem rei ablatæ per Judicem, vel Magiſtratum, vel vi tormentorum, vel minis, aut alio quovis modo, puta ſponte ſua extortæ, quæ puniri graviſſime debet, & de eo ſupra diximus. De hac conſcientia præter ceteros, ornate Horatius:

In l. reſpiciendum.

 Cur

Cur tamen hos tu
Evaſiſſe putes, quos dixi conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit.
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis,
Quas & Seditius gravis invenit, & Rhadamantus,
Nocte, dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Quosque alios suadendo juvisse, sceleris est instar.) Probat hic Claudius ad ea quoque, quæ jam a nobis diſputata ſunt, pertinere etiam corruptores animorum, quales hodie ſunt multi. Nam qui ſuadet alii malum, is juvare videtur inſaniam delinquentis, & maleficii particeps eſt, perinde ac ſi ope, vel conſilio eum juviſſet. Perſuadere autem (inquit Ulpianus) eſt plus quam compelli, atque cogi ſibi parere. Sed perſuadere τῶν μέσων ἐςὶ. Nam & bonum conſilium quis dando poteſt ſuadere, & malum. Et ideo Prætor adjecit, *Dolo malo*.

Juſtinianus in titul. de oblig. quæ ex delicto, naſcunt. Paulus in l. utrum, de pact.

L. 1. de ſer. corrup. Vide l. 1. §. ſi quis in villa, ad Sylla. l. 3. C. ad l. Juliam majeſt. ubi conſcii appellantur hi corruptores. Vide Barto. in l. non ſolum, § mandanti, de ju-

Sed hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis: causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu.) Mens, & intentio

tio Juriſconſulti eſt hoc loco, oſtendere nihil eſſe tam certum, tamque indubitatum in jure noſtro, & Legibus, quando generaliter eas intuemur, quod non aliqua in parte propter circumſtantias incurrentes varietur, quod ſubindicat hoc vocabulum, *modis*. Modos ſiquidem appellat circumſtantias, ex quibus ſeu notis rerum, & perſonarum communibus, & externis æſtimatur juris definitio; non ſolum in pœnis delictorum, quas hic ſecundum ſubjectam materiam proſequitur: verum etiam in omnibus contractibus, & humanarum functionum negotiis, ut & ſupra probatum eſt, & inferius exemplis demoſtrabitur. *rejur. de pœna perſuadentis.*

CAUSA, UT IN VERBERIBUS, QUÆ IMPUNITA SUNT A MAGISTRO ALLATA.) Quid ſit cauſa primum eſt intelligendum, quam ad illuſtrationem exemplorum deveniamus. Cauſam ergo hic (nam alias eſt multiplex ejus apud noſtros acceptio) accipies ſpeciali ſignificatione, pro ea ratione finali, quæ movet aliquem ad faciendum, aut etiam non faciendum. Omnia enim denominanda ſunt a fine, ob quem fiunt, ut docte loquitur Oldendorpius. Ecce enim, cauſa emendationis eſt longe honeſtiſſima, & neceſſaria ad finem educandorum

 homi-

hominum, & ad retinendam politicam ſocietatem. Unde ex hoc loco colligitur jus, ſcilicet, non eſſe improbandam: Sicut ex diverſo, finis pulſandi eſt privata vindicta ex depravato affectu procedens, igitur & divino, & humano jure evitanda. Divinum enim jus ita habet: *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*. Et alio loco: *Remittite, & remittetur vobis*. Alioqui ſi omnia pede (quod ajunt) fixo accipiamus, quis locus erit humanitati non ſolum, ſed & humanæ ſocietati? Cernere enim erit omnes ad arma, & bellicos inſultus promptos, & expeditos, ita promptiores ſunt omnes ad diſſentiendum potius, quam ad conſentiendum. Primum autem exemplum licitæ correctionis, & emendationis eſt in magiſtro, quod nomen quamvis egregium, & ſummo honore dignum, multi hodie in contumeliam, & ignominiam trahunt: Sed ignorant vim nominis, & dignitatem. Ariſtoteles ergo rectius multo, cum dixit diis parentibus, & magiſtris non poſſe nos unquam pares referre gratias. Quid quod quanto præſtat animus qui immortalis, corpore, quod caducum eſt, tanto magiſtri parentes antecellunt? hi ſiquidem ſolum corpus, illi animum

Digitized by Google

mum dicuntur informare. Nam ut rectiſſime Ovidius:

Nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, Ingeniique bonis.

Et Propertius:

Nam neque Pyramidum ſumptus ad ſidera ducti,
Nec Jovis Elæi cælum imitata domus,
Nec Mauſolei dives fortuna ſepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber ſubducit bonores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidet, ingenio ſtat ſine morte decus.

Quoniam autem niſi coacti nil fere agimus, & omnium hominum ingenium a labore proclive eſt ad libidinem; ut dicebat alter, leges id eis conceſſerunt, ut modeſte, & correctionis gratia verberibus uti poſſent. Sed quid de plagiariis quibuſdam dicemus? qualem alias habui. Certe eos ad adgnatos relegandos putaverim, cum hi verius adoleſcentium animum deſtruere, & corrumpere, quam inſtituere videantur. Proinde diligenter de moribus, & vita eorum, quibus liberi edocendi committuntur parentes, inquirere oportet, ne ſero ſapiant Phryges, ut eſt in proverbio.

Vide de diſcipuli ergà magiſtrum officio egregium Auſonii in Protreptico ad Nepotem carmen, & Ovid. lib. 2. artis.

VEL

Vel parente.) Cum nullus ſit tantus amor, qui vincat paternum, ut inquit Imperator, non eſt mirum, ſi illis quoque modicam in filios coertionem permiſerint Legislatores. Hæc enim, ut inquit textus, emendationis, non injuriæ gratia videtur adhiberi. Hunc amorem videtur expreſſiſſe Seneca his verbis:

In Hippolyto.

O nimium potens:
Quanto parentes ſanguinis vinculo tenes
Natura: quam te colimus inviti quoque:
Occidere volui noxium, amiſſum fleo.
Quanquam
Hoc patrium eſt potius conſuefacere filium
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus intereſt: hoc qui nequit,
Fateatur neſcire ſe imperare liberis.

Nulla eſt autem melior, & utilior parentum in liberos caſtigatio, quam a multis in eorum præſentia abſtinere, ne ipſi eorum exemplo edocti, in vitium, ad quod proclives ſunt, ruant, quod Juvenalis quoque admonet prolixiſſime, quo in loco probat parentes malos nullam libertatem, ac frontem objurgandi liberos habere. Huc pertinet, quod vulgo dicitur: Tales futuros cives, quales erunt in civitate rectores; & ut alter inquit:

Satyra 14.

Re-

Regis ad obtutum totus componitur orbis.

Ad hoc reſpiciens optimus ille civitatis inſtitutor Plato, Academicæque Philoſophiæ princeps, quamquam multa & egregie, & docte memoriæ mandarit, ſententioſe dicta, hoc tamen unum prædicare frequentiſſime ſolitus erat: felices illas civitates fore, in quibus philoſophi rerum gubernaculis admoverentur. Præcipuum ſiquidem eſt in eo, qui aliis quoquo modo præfici vult, & veluti murus aheneus

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

PUNIUNTUR, CUM QUIS PER IRAM AB EXTRANEO PULSATUS EST.) Tanta eſt hominum malitia, & perverſitas, tanta invidia, ut vix alter alterum ferre poſſit, quod Apoſtolus jubet. Quapropter ut a parente in filios, a dominis in ſervos, a magiſtris in diſcipulos coertionem, & caſtigationem in bonam partem ſemper acceperunt: ſic etiam ab extraneo per iram in alterum punitionem in malam partem, deterioremque traxerunt propter innatam quodammodo, & ingenitam a corrupta Adæ natura nocendi in hominibus, maleque faciendi cupiditatem, & promptitudinem *Ad Coloſſenſ.*

nem. Quam Horatius his verſibus exprimere videtur : Satyra 13.

Mobilis, & varia eſt ferme natura malorum,
Cum ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia, quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus, tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa, & mutari neſcia. Nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit
Ejectum ſemel adtrita de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris uno
Flagitio?

Ex his ſatis videre potes, quam diligenter in omnem negotiorum partem Juriſconſulti proſpexerint, ne quid relinquerent poſteris quod controverſiarum, & litium inter homines cauſa eſſe poſſet.

Persona dupliciter spectatur: ejus, qui fecit, et ejus, qui passus est.) Mirum dictu eſt, quantam varietatem cum in delictis, tum in contractibus adferat perſonarum differentia. Quum enim ſtatus ſint diverſi: non poſſunt cenſeri eadem omnium delicta. Inde eſt quod ali-

aliquando ab Oldendorpio tractatum eſt diligenter, aliter puniendum eſſe privatum hominem, quam univerſitatem. Qua in re multi falluntur. Sed nonne injuſtum eſt (dicet quis) ex iiſdem delictis diverſam ſtatui pœnam? Male facitne æque unus ac alius? Reſpondeo: Cum volueris rationem hujus loci inveſtigare, non eſt reſpiciendum ad turpitudinem, quam Cicero in Paradoxis non abſurde, ad abſterrendum homines, per omnia delicta diſputat parem eſſe, verum ad utilitatem Reipublicæ, ac humanæ ſocietatis conſervationem vertenda eſt cogitatio. Ea enim exigit ordinem quemdam politicum, ordo differentiam perſonarum, differentia proinde diverſum jus, tam in meritis, quam in pœnis: præſertim, quod ſublimiores, & bonæ frugi homines, non tam leviter ducuntur ad delinquendum, quam fex plebis. Quocirca duplex juſtitia ſtatuitur. Diſtributiva, quæ unicuique ſuum tribuit meritum, & pœnam, habita perſonarum ratione. Commutativa, quæ rerum communicationem per formas conſtituit, æqualiter ab omnibus ſervandas, non diſtinguens perſonas: de quibus alio loco a nobis inſtituta diſputatio.

Lib. 1. contracta juriſprudentia.

ALI-

Aliter enim puniuntur ex iisdem facinoribus servi, quam liberi, et aliter qui quicquam in dominum, parentemve ausus est.) Ariſtoteles dicit hoc ſecundum naturam eſſe, eique recte convenire, ut nonnulli in hac civili ſocietate, convictuque humano præſint, alii vero ſubſint, & pareant. Alioqui ſi omnium una, & eadem poteſtas conſtituatur, quis erit paci publicæ, tranquillitatique locus in tanta præſertim & mentium, & capitum diverſitate, atque differentia? Siquidem ut inquit alter:

In Politicis.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Quare ut ad pacem illam publicam retinendam præviderunt optimi Legislatores naturæ præcepta imitati, quam ſi ſequamur tanquam ducem, nunquam aberrabimus; Cicerone teſte; neceſſarios eſſe quoſdam gradus politicos ab omnibus diligenter obſervandos, ut alii magiſtratus conſtituantur, alii privati ſint; & in nulla poteſtate conſiſtentes, quos magiſtratibus parere neceſſe ſit: Sic etiam diverſitates pœnarum eſſe voluerunt, ut aliter puniantur ſervi, quam liberi; aliter qui quicquam in dominum, parentemve auſus ſit, quam qui in extraneum,

In Catone majo.

L. capitalium, §. ulti. hoc titu. l. Padius,

&

& ut ſequitur in magiſtratum, quam in privatum.

de incend. ruina, naufrag. Interpretes in l. pen de ſepul. viol.

IN MAGISTRATUM, VEL IN PRIVATUM.) Omnis poteſtas, inquit Paulus a Deo eſt, & qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit. Approbat ſane Deus imperia, ſine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt, ut Cicero dicit. Porro non magis ſine Magiſtratu civitas, quam navis ſine gubernatore, ſalva eſſe poteſt. Magiſtratuum ergo hæc eſt vis, ut præſint, præſcribant quæ ſunt recta, & utilia, & conjuncta cum legibus. Ut enim, ait Cicero, Magiſtratibus leges, ita populo præſunt Magiſtratus: vereque dici poteſt: Magiſtratum legem eſſe loquentem; legem autem mutum Magiſtratum. Et profecto quid profuerit multas habere leges, niſi ſint qui moderentur, ac recte diſtribuant? Quocirca Pomponius loquens de Magiſtratibus: Quia (inquit) ut expoſuimus, per eos, qui juri dicendo præſunt, effectus rei accipitur. Parum enim eſt jus in civitate eſſe, niſi ſint qui jura reddere poſſint: Vide quam pulchre accedant hæc ſententiæ Apoſtoli, quam ſupra retulimus inquientis poteſtatem, id eſt, Ma-

Ad Romanos 13.

In l. 2. de orig. juris, §. poſt originem.

Magiſtratum ordinationem Dei eſſe. Quis igitur non obtemperet jus dicenti auctoritate omnipotentis Dei? Nec vero ſolum ut obtemperent, obediantque Magiſtratibus: ſed etiam ut eos colant, diligantque requiritur teſte Cicerone. Nam (ait) & qui imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui paret modeſte, videtur, qui aliquando imperet dignus eſſe. Proinde cum hæc ita ſint, optime Saturninus aliter, id eſt gravius puniri debere qui Magiſtratum, ut perſonam publicam, quam qui privatam injuria aliqua adfecerit. Sed & cum privato delinquente Magiſtratus ex legibus nonnunquam reſpectu perſonæ mitius agunt, puta ſi eum Reipublicæ profuturum exiſtiment. Nam hoc caſu & delinquentem ſervare, pœnamque remittere ex æquitate poteſt: Perſona ergo facit ut ſummum jus interdum, rigorque juſtitiæ ceſſet.

L. ad beſtias de pœ. 33. ſ. 4. c. non poteſt, & ca. nimiũ ſunt, §. ſ.

In hujus rei consideratione, ætatis quoque ratio habetur.) Pueritiam, ſeu impuberes fere cum mente captis comparant: ſignificantius Græci utroſque νηπίους appellant, hoc eſt ſtultos, quorum delicta ætas excuſat. Sic enim Modeſtinus ait: Infans, & furioſus ſi hominem occiderit. L. Cornelia non tene-

tenetur, quum alterum Innocentia conſilii tuetur, alterum fati infelicitas excuſat. Et quidem propter furorem non modo ab homicidio quis excuſatur, ſed & a parricidio. Et Julius Paulus: Fere in omnibus (inquit) pœnalibus Judiciis, & ætati, & imprudentiæ ſuccurritur. Ceterum triplicem ætatem conſiderat Ulpianus, quo in loco diximus copioſiſſime.

L. infans, ad l. Cornel. de ſica. l. pen ad l. Pomp. de parricid. l. illud relatum, § ſane ſunt quidem, de injur. l. fere de reg. jur. antiq. In l. cum hi, §. modus quoque, de tranſact.

LOCUS FACIT, UT IDEM VEL FURTUM, VEL SACRILEGIUM SIT, ET CAPITE LUENDUM, VEL MINORE SUPPLICIO.) Ecce quantam vim habent rerum, & perſonarum circumſtantiæ: adeo ut locus quoque variet juris ſanctionem. Pro furto enim olim non infligebatur pœna capitis, niſi propter loci religionem. Ex quibus apparet non eſſe antinomiam inter Saturninum, & Marcianum. Res privatorum, inquit Marcianus, ſi in ædem ſacram depoſitæ ſurreptæ fuerint, furti actionem, non ſacrilegii eſſe. Nam ibi res privatæ non habent locum ſuum. Ergo non poteſt delictum ex eo creſcere, ut ſit pœna capitis. Quam legem ut facilius intelligas, obſervandum eſt, ſolitos fuiſſe veteres pecunias ſuas in fana, ſeu templa deponere, velut tutiſſimum locum, quod nunc quoque

In hac l. & l. divi Severus, & Antoninus, ad l. Jul. pecul.

Juxta l. ſacrilegi, eod. titu.

 mul-

multi faciunt. Unde refert Cicero: Alexandrum in Sicilia depoſuiſſe apud Solem in delubro pecuniam. Et Cliſthenem egregium civem, cum rebus timeret ſuis, Junoni Samiæ filiarum dotes crediſiſſe. Quo favore conſcripta erat lex in duodecim tabulis in hæc verba: *Sacrum, ſacrove commendatum, qui clepſerit, rapſeritque, parricida eſto*. Quod poſterioribus ſeculis poſt Imperatores, ut jam ſæpe diximus ex Marciano mutatum eſt. Paulus ſacrilegos capite plectendos eſſe dicit. Ulpianus ibidem reſpondit, pro qualitate perſonæ, pro rei conditione, & temporis, & ætatis, & ſexus, vel ſeverius, vel clementius ſtatuendam eſſe pœnam. Quo loco triplex ſacrilegium definit. In ſacrilegos etiam apud Ethnicos ſevere animadverſum eſt. Sic Phalæcus Phocenſium ductor furti inſimulatus, propterea quod multas e ſacris pecuniis ſibi vindicaſſe diceretur, ex Imperatoria dignitate, quam gerebat, excidit; cujus loco tribus electis ducibus, Dinocrate, Callia, & Sophane, ſacrarum pecuniarum quæſtio eſt habita, qui quum ab iis, qui eas adminiſtraverant, rationem repoſcerent, ut ii reddere nequierant, eos maximo cruciatu adfectos, reſtitutiſque quæ ex furto ſuper-

In l. ſacrilegi, ad leg. Jul. pecul.

In l. ſacrilegii d. tit. & huc pertinet l. pergat, de ſepul. viola.

pererant, morte mulctarunt. Phalæcus autem ſimulac non redargutus eſt pecuniarum aliquid propriæ utilitatis cauſa furto ſurripuiſſe, verum omnia in exercitu abſumpſiſſe, rurſus Imperator eſt conſtitutus (Auctor Gemiſtius lib. 2. de Geſtis Græcorum.) Et habentur paſſim multa apud auctores exempla, de ſacrilegorum pœnis a diis, quos depeculati fuerant, inflictis. Hinc Menelaus apud Libanium dicit: ὁρᾷς, ὡς οὐδὲ τοῖς ἱεροσύλοις ἀκίνδυνον, τὸ τὰ τῶν θεῶν εἰληφέναι. Vides (inquit) impune non eſſe ſacrilegis res Deorum ſuſtuliſſe? Quid autem hodie de direptoribus bonorum, quæ ad pauperes Chriſti, imo ad Chriſtum ipſum pertinent, dicendum ſit, alibi diximus. De furto, ejuſque pœna ſupra diximus. Ex ſupra dictis autem & illud ſolet probari: graviorem eſſe injuriam, quæ in domo propria, quam quæ alibi admittitur. Quamobrem Principes multo ſeverius ſolent punire vim armatam, quæ in aula, quam quæ alibi contingit. Et locus vulneris atrociorem facit injuriam. Poſtremo & hoc dicendum eſt, locum hic pro ſua cujuſque rei, quam obtinet, ſede accipi, & iſta eſt vulgaris loci ſignificatio. Alias metaphoricωs intelligitur pro nota rei com-

In lib. ſingul. de curatore reipublica.

L. plerique, de in jus vocand.

§. atrox, de injur.

munis, cujus velut perpetuæ ſedis admonitu, quid in quaque re probabile ſit, poteſt inveniri. Ita enim doċte Rodolphus Agricola Phriſius.

Lib. 1. de invent. Dialecti.

Tempus discernit emansorem a fugitivo: et effractorem, vel furem diurnum a nocturno.) Nulla eſt qualitas, quæ in rebus humanis majorem vim habeat, quam temporis viciſſitudo. Tempus enim dat roſas, & mutat omnia: cujus qui rationem non habet, is plane nihil poteſt in jure ſecundum æquitatem definire: adeo verum eſt, quod eſt apud Cornelium Gallum:

Cuncta trahit ſecum, vertitque volubile tempus,
Nec patitur certa currere quæque via.
Omnia tempus alit, tempus rapit, uſus in arcto eſt,
Nullaque res majus tempore robur habet.

Lib. 1. de remed. Amoris Ovid.

Temporibus medicina valet data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas, vitia, irriteſque vetando
Temporibus ſi non aggrediare ſuis.

Claudius duobus exemplis contentus, priore de emanſore, & fugitivo:

vo : altero de effractore , vel fure diurno a nocturno , Emanſor, inquit Modeſtinus , eſt qui diu vagatus ad caſtra revertitur , eoque diſtat a deſertore . Quemadmodum & erro dicitur ſervus, qui quoque animo errat, ut ad tempus revertatur : ſicut fugitivus , qui non habet animum revertendi . Effractores autem dicuntur , (nam de fure toties diximus) qui , ſive diu , ſive noctu , furandi cauſa domos effringunt . Sed & qui carceres effringunt , ut evadant , effractores ſunt . Hinc effractura , pro violenta diſruptione apud Paulum uſurpatur : quo loco oſtendit ubi plerunque fiat . Habes autem , & alia in jure permulta exempla , in quibus mutatum eſſe jus pro temporum ratione videre potes . Porro tempus eſt ex cæli , ſoliſque vertigine deductum ſpatium , quo rerum omnium agitationem , viciſſitudinemque metiunt . Quo reſpiciens Chriſtus ipſe , mutationem rerum nobis ob oculos poſuit, cum diceret, Unius diei, ſcilicet breviuſculi temporis , duodecim horas eſſe , quæ hominem ſæpe in aliam ſententiam pertrahunt . Vide autem deſcriptionem ſedis temporis elegantiſſimam apud Claudianum.

In l. deſertorem , de re milit.

L. 1. & iv. *de effract. & expila.*

In l. 3. de offic. præfect. vigil.

Paneg. 2. in laud. Stilco.

Qualitate, cum factum vel atrocius, vel levius est.) Qualitatem hinc vult intelligi pro circumſtantia, quæ ad factum ipſum peculiariter pertinet, & diſtat a quantitate. Alioqui omnes prædicti ſeptem modi ſunt qualitates, quæ incidunt plerumque, & variant delicta, atque contractus. Sic apud Philoſophos accipitur in ſerie prædicamentorum, & trifariam dividitur, in Habitum, Affectum, & Qualitatem, de quibus alibi tractavimus.

Οὐ γὰρ.) Probat hanc qualitatem auctoritate Demoſthenis. Deſcribit autem eo loci Demoſthenes, qualitates injuriarum, quæ tam variæ ſunt, ut audientibus non æque poſſint repræſentari, vel inſinuari, atque rei veritas habet, & apparere poſſunt coram videntibus, vel æſtimari ab iis, qui injuriam patiuntur.

Quantitas discernit furem ab abigeo.) Sicut qualitas ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem rei oſtendit: ita quantitas diviſionem in partes. Hæc a Philoſophis in diſcretam, & continuam dividitur. Juriſconſulti autem ſic dividere poterunt: in Numerum, Pondus, & Menſuram. Numerus, ut duo, tria, quinque, decem, centum, mille. Pondus

dus, ſextans, quadrans, triens, pondius, ſive as, dupondius, tripondius. Menſura, ut digitus, palma, pes, urna, amphora. Quantitatis autem ratio multum operatur in delictis, in contractibus, & judiciis. Ponit autem exemplum de fure, & abigeo; quod a Jureconſulto deductum eſt. Hucque pertinet quod dicimus, pro minimis delictis non eſſe exacerbandam pœnam. Et de deceptione quidem magna, & modica circa pretium rei venditæ à Juriſconſultis, & interpretibus conſtituta differentia referri poterit. Præterea & id quoque: Prætorem in litibus de obularibus, ſumptus, & cognitionem debere moderari. Nam hæc omnia niſi quantitatem recte explicatam habueris, nunquam commode intelligi poſſe certiſſimum eſt. *In l. fin. de abigeis.*

EVENTUS SPECTATUR, UT A CLEMENTISSIMO QUOQUE FACTA.) Eventus, inquit, delictum cenſeri facit nonnunquam in clementiſſimo homine, puta, qui miſericordiam intempeſtiviter exercet, ut multa ſunt juris exempla. Tametſi perfidia, & animi doloſi ratio, tollat aliquando diſtinctionem eventus, id quod ſatis oſtendunt verba Juſtiniani: Item lex Cornelia de ſicariis, inquit, quæ homici- *L divus, ad l. Cornel. de ſicar. l. his qui, C. eod. tit. Inſtit. de pub. judi. §. itē lex Cornelia.*

micidas, ultore ferro perſequitur, vel eos, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulant. Loquitur enim de his, qui dolo malo occidunt, cum nec laſcivia, nec culpa huc poſſit pertinere, idque adeo verum eſt, ut homicidæ incumbat onus probandi ſeſe non occidendi animo occidiſſe: ut eſt in reſcripto Imperatoris Antonini. Quæ fuerit autem apud Athenienſes homicidarum pœna, oſtendit Demoſthenes luculentiſſime. Et Theon Sophiſta, dum adverſus homicidam declamat, probat hoc eſſe crimen atrociſſimum, atque ipſo etiam ſacrilegio gravius. Et ſane adeo leges omnes hoc malum averſantur, ut nonniſi duabus ad ſummum cauſis indulgeant, ut quis citra legitimum judicium hominem impune occidat. Nempe in ulciſcendo uxoris, aut filiæ adulterio, id quod inſuperabili dolori vix tributum eſt. Deinde in vi depellenda; at ita, ſi demonſtres te aliter mortem effugere non potuiſſe, niſi mortem intuliſſes. Quod noſtri moderamen inculpatæ tutelæ appellant. Et ut quis juſtam hujus ſui facti rationem reddiderit, ita dimittitur, ut magis venia, quam laude dignus judicetur.

L. lege Cornelia, §. 1. ad l. Cornel. de ſicar. l. in lege Corn. il. .o titu. in l. 1 C. eod. tit. In orat. contra Ariſtocratem.

Qui occidendi hominis causa cum telo fuerit.) Hunc locum

eum illuſtrant ea quæ ad hunc modum reſcripſerunt Diocletianus, & Maximianus A. is, qui cum telo ambulaverit hominis necandi cauſa, ſicut is, qui hominem occiderit, Legis Corneliæ de ſicariis pœna coercetur. Cicero intereſſe nihil ait, inter eum, qui hominem occidit, & eum, qui hominis occidendi cauſa cum telo fuit. Hucque pertinet quod Calliſtratus in tractatu Legis Corneliæ de ſicariis refert Adrianum reſcripſiſſe. In maleficiis voluntatem ſpectari, non exitum. Quod intelligendum eſt de atrocioribus maleficiis, veluti Homicidii, Raptus, & Majeſtatis. Recte autem hæc verba, hominis occidendi cauſa, a Saturnino, aliiſque addita ſunt. Ex alia enim cauſa licet cum telo ambulare. Nam & Cicero pro Milone ait; licere nobis habere gladios, & iis uti, non quidem mali inferendi cauſa, ſed propulſandi. Deinde addit: Perſapienter, & quodammodo tacite dat ipſa lex poteſtatem defendendi, quæ non modo hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſa vetat, ut cum cauſa telum non quæreretur: qui ſui defendendi cauſa, telo eſſet uſus, non hominis occidendi cauſa habuiſſe telum judicaretur. Hæc ille. Et noſter Paulus:

In l. is qui, C. ad l. Corn. de ſica.

In orat. pro Rabirio. Vide etiam in orat. pro Milone.

lus:

In l. penult. ad l. Jul. de vi publ.

lus: Qui (inquit) telum tutandæ ſalutis ſuæ cauſa gerunt, non videntur hominis occidendi cauſa portare. Ergo non fuit hoc jure ademptus privatis hominibus telorum, armorumque uſus. Sed poſtea edita eſt Conſtitutio Impp. Diocletiani, & Maximiani: Nulli prorſus, inconſulto principe, poteſtatem eſſe quorumlibet armorum movendorum. Certe Thucydides ſcribit barbarum morem eſſe cum telo, vel armis ambulare, quo Græcia uſa ſit, antequam munitas haberet civitates ad propulſanda latrocinia. Addit deinde hunc morem primos depoſuiſſe Athenienſes, civili, & manſuetiori vitæ aſſuetos, ſed nihilominus multos Græciæ populos eum retinuiſſe, veluti, Locros Arcananas, & Ætolos. Ceterum teli appellatione quid veniat vide apud Cajum Juriſconſultum, ex quo extracta quædam a Juſtiniano verba depravate hactenus lecta ſunt, nam cum ſed & omne legant interpretes, ſed nunc omne legendum crediderim: ut nunc, ſignificet in tractatu legis Corneliæ de Sicariis teli appellationem ita late patere. Quod miror Æmilium Ferretum non emendaſſe.

L. una, C. ut armo. uſus incon. princ. interd. ſit.

Lib. 1.

In l. ſi calumnietur, §. telum, de verbo. ſignificat.

In §. item lex Cornelia, de pub. jud.

Ut apud præcipuum poetarum.) Obſervat quod Juſtinianus ali-

aliquando dixit de Jure civili loquens. Sed quoties, inquit, non addimus nomen cujus ſit civitatis, noſtrum jus ſignificamus, ſicuti cum poetam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius: per antonomaſiam ſcilicet. Quare hoc loco Homerum intelligit, cujus verbis de exilio voluntario, hoc eſt, arbitrario, quod caſu hominem occidentibus indici ſolebat. (Sic enim & temporarium exilium appellat Arrius Menander) eventus conſiderationem magnam fuiſſe, & olim apud Græcos. Hucque pertinet lex Martiani. Sed & ex Senatuſconſulto (inquit) relegari juſſa ea eſt, quæ non quidem malo animo, ſed malo exemplo medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea, quæ acceperat deceſſit.

In l. qui cū uno, de re milit. in l. III §. 1. ad l. Corn. de ſic.

Evenit ut eadem scelera.) Ut penitiſſime nobis inculcet magnam juris varietatem, quæ ex prædictis rerum, & perſonarum circumſtantiis ſecundum æquitatem colligi ſolet, duas ſubjicit ſubſequentes regulas, de exacerbandis maleficiorum pœnis propter nimiam frequentiam delinquendi: Feſtus Pompejus oſtendit apud Athenienſes, pœnam capitis his conſtitutam, qui ficos furto tollerent. Quod etiam adfir-

Accedunt l. 1. §. puniuntur, de abig. l. famoſi, in fi. C. ad l. Jul. majeſt.

Lib. dipnoſophiſtarum 3.

adfirmat Athenæus, addens eum locum, ubi primum ficus reperta fuit illis ἱερὰν συκῆν, id eſt, ſacram ficum vocari, referente Eraſmo. Oſtenditur autem hoc loco egregie pœnarum finalis cauſa; eas nempe inventas eſſe, & conſtitutas in emendationem, & correctionem hominum improborum. Nam bonis, & probis viris ut non eſt lex poſita, ita nec pœna, quæ a legis tranſgreſſione deſcendit. Neque enim, inquit Apoſtolus, unquam ſciviſſem concupiſcentiam eſſe peccatum, niſi lex diceret: *Non concupiſces*: In hoc autem vel maxime ut pœna unius ſit metus multorum. Ulpianus omnium delictorum coertionem definit. Ad hoc autem ſpectat, quod Solon dicere ſolebat, & ſupra retulimus, duabus potiſſimum rebus Rempublicam conſtare, præmio, & pœna, & recte quidem. Quemadmodum enim male meritus publice, ut aliis exemplo ad deterrenda maleficia ſit, perpetua egeſtate laborare debet, ſic modeſto civi, ac bene merito, publice præmia conſtituenda ſunt, decernendique honores, ut aliis ad bene, beateque vivendum exemplo eſſe poſſit, habeantque hunc ceteri, quem imitentur. Præterea evertit hic Saturninus Budæi noſtri commen-

In Chil. proverbio Sycophanta.

In l. aliud eſt fraus, §. pœna, de verb. ſignif. l. capitalium §. famoſos, de pœ. l. 1. C. ad l. Jul. repet.

L. bona fides depoſiti.

mentum, in definitione æquitatis ex Donato. Dum, inquit, æquitatem eſſe, quæ de jure multum remittit. Nam, & aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbanda eſſe dicit, non minuenda, aut lenienda. Sed hæc ut diligenter perpendantur, officium eſt Judicis.

Habes jam ampliſſime Domine lucubrationis noſtræ, ſeu farraginis *de Præcipuo Judicis in cauſis capitalibus decidendis Officio*, finem, atque judicium, tametſi nihil fere eſt in ea meum (quid enim dictum, quod non dictum ſit prius?) præter operam, quam navavi, ut ea, quæ ſparſim, vel ab aliis tradita, vel dicta, vel explicata memoria veteri repetere potueram in itinere, magnaque librorum penuria, meo calamo exſcripta in unum veluti corpus effingerem ſub tuique nominis auſpicio, & protectione in publicum prodire permitterem. In qua re quantum effecerim tuum erit, omniumque proborum virorum judicium. Certe qualecunque eſt æquo animo juvandarum literarum gratia a me confectum eſt. Nec me præterit plura, & a multis ornatius, copioſiuſque hac in re tractari potuiſſe, præſertim hoc ſeculo virorum, & eruditorum, & eloquentium feraciſſimo: nec

Vide l. cum hi, §. pœna gravior de tranſact.

nec tamen hac provincia putavi decedendum. Præclare enim nos admonet latinæ princeps eloquentiæ Cicero, ut ſi quem aut natura, aut præſtantis ingenii vis defecerit, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis: eum, quem poterit, curſum teneat. Prima enim ſequentem honeſtum eſt in tertiis, ſecundiſque conſiſtere. Tuæ nunc ſunt partes defendere, & tueri, æquoque, & benevolo animo hoc opuſculum excipere interim dum majora forte, & feliciora (quamquam quid poteſt hoc eſſe felicius) parturit noſtrum ingenium, quæ cito naſcentur, & lucem aſpicient.

IN-

Digitized by Google

INDEX EORUM

QUÆ

In hoc Libro ſingulari De Officio Judicis in cauſis capitalibus ex bono, & æquo decidendis continentur

LOCUPLETISSIMUS.

Leges tum conciliatæ, quæ pugnare videbantur, tum præter receptam hactenus interpretum ſententiam enarratæ.

Explicatio L. Placuit, C. de Judiciis. *Pag.* 12
L. Mora fieri, de uſuris, nova interpretatio. 25
Conciliatur Ulpianus in L. VII. de re judicata, cum Calliſtrato in L. Cum lege Julia, de recept. arbitr. 33
Conciliatio L. Placuit, C. de Judic. & L. I. de Legib. & Conſtit. 35
Interpretatio L. Reſpiciendum, de Pœnis. 53
Paragraphi ultimi de Pace tenenda, & ejus

& ejus violatoribus, in uſibus Feudorum. 88
L. Aut facta, eod: tit. diligenter caſtigata, & explicata. 129
Conciliatio L. Aut facta, tit. de Pœnis, & L. Divus Severus, & Antoninus. Ad L. Juliam pecul. 133

Ex Decalogo.

Interpretatio præcepti *Non furtum facies*. 137
Interpretatio præcepti *Non occides*. 139

IN-

INDEX EORUM
QUÆ
In hoc Libro continentur
LOCUPLETISSIMUS.

A

Accurſii commenta, & impoſturæ. *Pag.*77
Accurſii error. 107
Accurſii interpretatio. 64
Actio famoſa, quæ dicatur. 145
Actionis famoſæ ſpecies. *ibid.*
Ad jus unicuique reddendum requiritur ſapiens Judex. 56
Adoleſcens Judex eſſe non poteſt, præterquam in duobus caſibus. 8
Advocati noſtræ ætatis, quales. 142
Advocationibus non tam eſt, quam foro interdicere. 143
Advocatorum magna debet eſſe fidelitas. 141
Advocatorum infidorum pœna apud veteres. 143
Advocatus infidus quis dicatur ex formulariis. 142
Advocatus quis dicatur. 141
Æmilii Ferreti notæ, & commentarii in quinquaginta libros Pandectarum. 40
Æmilius Ferretus. 170
Æqualia non ſunt peccata, ſic nec pœnæ. 71
Æqualia eſſe peccata, quare Cicero dixerit. 80
Æqualitas vera eſt juſtitia. 77

Æquitas legum interpres. 19
Æquitas quid. 22
Æquitas, & ſummum jus differentia quidem ſunt, ſed non diverſi generis. 23
Æquitas ſimplex eſt, nec dividitur. 25
Æquitas rigori præfertur, etiam in gravioribus pœnis. 75
Æquitas medium quoddam eſt inter ſeveritatem, & benignitatem. *ibid.*
Æquitas ubi non eſt, quid ſequendum ſit. *ibid.*
Æquitas non ſemper mitius agit in delictis, ſed pro circumſtantiarum varietate, more medicorum exercetur. 76
Æquitatis variæ appellationes. 22
Æquitatis appellatione, quid veniat. 23
Æquitatis uſus maximus. *ibid.*
Æquitatis, & ſtricti juris extrema, crudelitas, & indulgentia. 24
Æquitatis ratio unde. *ibid.*
Æquitatis nova definitio. 26
Æquitatis, & ſtricti juris differentia. 74
Æquitatis ex Dyno definitio. 75
Æquitatis vim pauci intelligunt, etiamſi ſemper vocabulum in ore habent. 18
Æquitatis benignitati ſopponitur ratio juris. 79
Affectatio omnis odioſa, ſed præſertim ea, quæ eſt nimiæ ſeveritatis. 63
Ambitio ea vera eſt, quæ virtute fit. 31
Ambitio eſt omnino miſerrima. 30
Ambitio magni mali cauſa. 31
Ambitus lex. 30
Amica magis debet eſſe veritas. 6
Anaxandridæ apud Plutarchum dictum elegans. 68
Appellatione viri boni, quid Juriſconſulti intelligant. 10
Apud Athenienſes furto ficum tollentibus capitis pœna conſtituta: ex Feſto Pompejo. 171

Ariſtidis apud Judices interceſſio pro reo, quem accuſaverat. 70
Ariſtidis laus ex Eraſmo. *ibid.*
Ariſtogito quare capitalem pœnam in ſe conſtituerit ex Demoſthene. 83
Ariſtoteles quomodo cereum naſum appellat. 77
Ariſtoteles inter propoſitum, & voluntatem differentiam conſtituit. 92
Ariſtotelis dictum de diis parentibus, & præceptoribus. 152
Ariſtotelis dictum. 158
Ariſtotelis de voluntariis delictis diviſio. 93
Ariſtotelis ſcriptum de mediocritate. 72
Arrius Menander. 171
Ars boni, & æqui in quo verſetur. 11
Athenæus. 21 & 172
Athenienſium lex. 21
Athenienſium lex. 26
Auctoritas judicis qualis ſit. 11
Auguſtini de bonis Eccleſiæ dandis opinio. 118

B

BArtoli diviſio inepta, & redundans. 47
Benignitas proprium æquitatis epitheton, cujus contrarium rigor. 78
Benignitatis commendatio ex Ariſtotele. *ibid.*
Bonitas quomodo accipiatur. 9
Bonorum proſcriptio non eſt ex æquitate. 110
Bonum generale nomen eſt. 9
Bonus vir, & bonus judex differunt. *ibid.*
Budæi error in definitione æquitatis ex Donato. 172

C

CÆcus quare judex eſſe non poſſit. 55
Calumnioſus quis dicatur. 91
Caput magiſtratuum ſunt publicæ ſcholæ. 17 *& ſeq.*
Caſtigare facinoroſos non eſt privatum munus. 55

Caſtigatio parentum in filios, præceptorum in diſcipulos. 82
Caſum Cicero a conſilio diſcernit. 105
Caſum nonnunquam pro eventu accipimus. 104
Caſus fortuitos nemo præſtare poteſt. *ibid.*
Caſus fortuitus quid. 103
Caſus fortuitus, & de improviſo in idem recidunt. 103. *& ſeq.*
Caſus fortuitus ut quem ab actione legis Aquiliæ excuſet, quæ requirantur. 106
Caſus, in quo judex litem ſuam facere dicitur. 12. *& ſeq.*
Caſus quid ex Cajo. 104
Catonis ſenioris dictum elegans. 65
Cauſſa emendationis. 151
Cauſſa quid ſit. *ibid.*
Cautiones hodie officio Judicis expediuntur. 48
Centumvirales in quo gradu ponendi ſunt. 41
Centumvirales de quibus cauſſis cognoſcerent. *ibid.*
Chriſtus inter furta non diſtinguit. Civilis ratio contra, & quare. 80
Chriſtus omnes ſuos laborare vult, nullum excipiens. 136
Chriſtus ſanguinis juſtorum optimus vindex. 143
Chryſippi philoſophi juſtitiæ deſcriptio ex Eraſmo. 65
Ciceronis, & Juriſconſulti differentia inter propoſitum, & impetum eadem. 100
Circumſtantia quid. 121
Circumſtantia quotuplex ex Saturnino. 123
Circumſtantiarum elegans explicatio. 121. *& ſeq.*
Circumſtantiarum uſus ex Melancthone. 123
Claudianus ſedem temporis egregie deſcripſit. 165
Claudii Saturnini reſponſum, quo pertineat. 129
Cle-

Clementia magis hominum eſt, quam ſeveritas. 72
Cleonis oratio qualis. 59
Cognitionis juſtæ duæ partes. 14
Cognoſcere quid ſit. *ibid.*
Conjurationes privatæ, quæ dicantur. 148
Conradus Lagus. 136
Conſcientia quid. 148
Conſervatio humanæ ſocietatis exigit quemdam ordinem. 157
Conſilium quid ſit, & unde Conſiliarius. 91. & 146
Conſilium non puniri, quomodo intelligendum. 146
Conſtitutio Franciſci Regis de Monopoliis. 97. & 148
Contractus bonæ fidei, & ſtricti juris unde. 29
Convicium unde dicatur, & quomodo ſcribendum ex Alciato. 141
Cornelii Galli carmina de tempore. 164
Corruptores animorum. 150
Critiæ mors unde. 22
Curiatum comitium quid ſit, & quid Centuriatum. 41

D

Demoſthenis dictum de puniendis delictis. 79
Demoſthenis elegans ſententia de diviſione delictorum. 89
Deo reddenda adminiſtratio judicii. 54
Deportatio quid. 108
De quibus circumſtantiis curioſos eſſe Judices oporteat. 119
Deſcriptio officii Imperatoris Romani ex Virgilio. 79

E

EBrius ignorans agit ex Ariſtotele. 102
Effractores qui dicantur. 165
Effractura quid apud Paulum. *ibid.*
Emanſor quid ex Modeſtino. *ibid.*
Erro quis dicatur. *ibid.*
Error Decii. 42
Error Doctorum. 8
Error Duareni in *l.* 1. *de pactis*. 26
Error interpretum in diviſione æquitatis. 24. *& ſeq.*

F

FAcetum ruſtici cujuſdam dictum. 96
Factionum duces puniri intereſt Reipublicæ. 97
Falſa ſententia, quæ dicatur. 144
Falſo adverbium. *ibid.*
Falſum accipitur tribus modis. 143
Familiare ſepulcrum quid. 79. *& ſeq.*
Famoſi latrones, qua pœna mulctandi. 95
Famoſum libellum ſcribens, qua pœna puniatur. 145. *& ſeq.*
Famoſum vocabulum medium. 145
Favendum eſſe potius reo, quam actori, quomodo ſit intelligendum. 71
Fœminæ a civilibus arceantur officiis. 4
Fœminæ Rempublicam adminiſtrare prohibentur. *ibid.*
Fœminarum perverſitas in corrumpendis judicibus, quibus matrimonio junctæ ſunt. 5
Formulariorum error. 14
Forum libertorum apud Athenienſes. 83
Fur nocturnus, vel etiam diurnus, telo ſe defendens impune occidi poteſt, & quare. 87. *& ſeq.*
Fures proprie qui dicantur, & qui graſſatores. 87
Furta domeſtica, quæ dicantur. 79

Furta

Furta domeſtica in foro nec vindicanda, nec accuſanda, & quare. 82
Furta leviora, quæ dicantur. 81
Furta publica, quæ ſint, & gravius punienda. 80
Furta quomodo vel levia, vel gravia dicantur. 81
Furti domeſtici vindicatio nullam requirit ſeveritatem, & quare. 79
Furti puniendi varia apud antiquos genera, & quæ pœna hodie ſit conſtituta. 85. *& ſeq.*

G

GEmiſtus de geſtis Græcorum. 163
Generaliſſima quædam ſunt capita ad colligendum æquitatem maxime neceſſaria. 114. *& ſeq.*
Germanorum mos in puniendis furtis, & ratio. 80
Græcorum ſenarius optimus. 68
Graſſatorum pœna. 95
Gravius puniendus ebrius, quam ſi per imprudentiam delinqueret, & quare. 102

H

HÆreticæ pravitatis inquiſitorum, & aliorum magiſtratuum error in condemnando. 67
Homicidarum apud Athenienſes pœna ex Demoſthene. 168
Homicidæ incumbit onus probandi ſe non animo occidendi occidiſſe. *ibid.*
Homicidium per ebrietatem patratum mitius punitur. 103
Homines proniores ad malum, quam ad bonum. 135. *& ſeq.*
Horatii carmina de innata hominibus male agendi cupiditate. 156
Horatii de conſcientia carmen elegans. 150
Horatii ſententia. 149

I

IMpetus duplex. 99. & ſeq.
Impetus infamiæ ſpecies eſt. 98
Impetus quid. ibid.
Impuberes cum mente captis comparantur, & horum delicta ætas excuſat. 160
Impuberes, & mente capti ſi aliquem occiderint *l. Cornelia* non tenentur. 160. & ſeq.
Impubes judex eſſe non poteſt. 5
In judicando unius exceſſus alterius facit imminutionem. 61
Injuria ratione loci fit gravior. 81
In levioribus furtis dominus non habet actionem furti contra ſervum. 83
In maleficiis voluntatem ſpectari, non exitum, quomodo intelligendum. 169
In pœna, & præmiis noſtri temporis calamitas. 62
Inſignes latrones ad appellandum non admittuntur. 95
Inter delicta longa eſt differentia. 89
Ieterdictio ignis, & aquæ, quando abiit in deſuetudinem. 109
Interpretatio Chriſti: unius diei multas eſſe horas. 165
Interrogationis magna utilitas in cauſis cognoſcendis. 15
Joannis Menſancalli primi apud Toloſates præſidis laus. 29
Joannis Rogeraii Trochæi de perfecto Juriſconſulto Dialogus. 10
Joannis Rogeraii Trochæi liber de Ambiguitatibus, qui ſecundus eſt librorum quinque Contractæ Juriſprudentiæ. 14
Joannis Rogeraii Trochæi libri quindecim lectionum ad leges. 49. & 53
Joannis Rogeraii Trochæi liber ſingularis de curatore Reipublicæ ad Carolum fratrem. 163

Iſo-

Iſocratis ad Nicoclem Regem admonitio. 72
Judex differentiam delictorum in decernendo habere perſpectam debet. 71
Judex eſt jus loquens. 55
Judex in delictis puniendis differentiam inter bonos, & malos facere debet. 61
Judex non ſemper legis præſcriptum generale ſequi debet, alioqui nulla ejus ſapientia. 12
Judex pure delegatus quis ſit. 44
Judicandi officium per ſe grave, ſed in criminalibus multo gravius. 53
Judicem oportet more Geometrarum omnia ad æqualitatem perducere. 67
Judicem prudentem, animam legis appellat Ariſtoteles, & quare. 77
Judices aut abſolvere, aut condemnare debent. 60
Judices cum quibus clementia uti debeant. 71
Judices ordinarii, qui dicantur. 44
Judici media via incedendum. 60. & ſeq.
Judicibus periſtaſes commendantur. 69
Judicis cognitio in criminalibus ſe diffundit latiſſime propter circumſtantiarum varietatem. 66
Judicis definitio. 3
Judicis deſcriptio ex Ariſtotele. 75
Judicis etymologia. 2
Judicis officium in quæſtione danda. 59
Judicis partes in jure certo. 14
Judicis peritia quibus conſtet. 10
Judicis poteſtas, & origo unde. 30
Judicis pure delegati differentia quadruplex. 44
Judicis variæ appellationes. 1. & ſeq.
Judicium quid. 66
Judicum delegatorum, ſed ordinariorum ſimilium appellatione, qui veniant. 44
Judicum diviſio. 40. 44. & 45

Judicum error. 16
Judicum eſt diſcernere inter jus, & injuriam. 65
Judicum, & Juriſconſultorum veterum ſimilitudo. 11
Judicum ordinariorum non erat æqualis poteſtas. 44
Juris certi appellatione quid veniat. 13
Juris civilis duo tantum genera ex Cicerone. ibid.
Juriſconſulti duo abſoluti Gillotus, & Longovallius. 46
Juriſconſulti quare ſacerdotes appellentur. 66
Juriſconſultis fuit in animo nihil quod dubium eſſet poſteris mandare. 134
Juriſconſultum Marcellum deliſtorum diviſionem ex Demoſthenis fontibus hauſiſſe. 90
Juriſperitorum altercationes controvertendi præbent occaſionem. 134
Juriſprudentiæ finis mutatus, & quis ejus proprius ſit. 135
Jus canonicum a jure civili in pœna ſcribentis famoſum libellum variat. 146
Jus habere cereum naſum quomodo intelligatur, & qua ratione illi adaptandus. 76
Jus prætorium, qua gratia inventum. 114
Jus ſtrictum dupliciter intelligitur. 19
Jus ſtrictum improprie ſit duobus modis. 20
Juſtitia diſtributiva quid, & quid commutativa. 157
Juſtitia duplex. ibid.
Juſtitiæ delineatio apud veteres. 58

L

Latiſſima eſt hæc vox homicidium. 139
Laus conſtitutionis Trajani. 110
Leges de variis pœnarum generibus unde. 139
Leges omnes ad naturalem quandam legem, & generalem reduci debent. 136

Leges

Leges quare Deus in tabulas lapideas voluit deſcribi. 135
Legis actio duo ſignificat. 44
Leve crimen non eſt ebrietas, & multorum malorum cauſſa. 101
Literæ ſacræ, & humanæ ſanguinarios concuſſores execrantur. 67
Lites tribus modis expediri poſſunt. 16
Locus injuriam facit atrociorem. 163
Locus quid ſit, & quot modis accipiatur. *ibid. & ſeq.*
Locus variat juris ſanctionem. 161
Lucius Catilina patriæ hoſtis. 147

M

MAgiſtratus quid apud Pomponium. 2
Magiſtratus noſtri temporis. 31
Magiſtratuum vis quæ. 139
Majores, & minores magiſtratus, quid inter ſe diſtent. 41
Majores magiſtratus, qui ſint, & qui minores. *ibid.*
Maleficium impetu quando contrahatur ex mente Bartoli. 100
M. Portii Catonis apud Livium de fœminis ſententia. 4
Martialis in quendam cauſidicum jocus. 63
Mediocritatem qui deferunt malos exitus plerumque habent. 58
Mediocritatem quomodo judex in puniendis delictis tenere poterit. 57
Mediocritatem in delictis tenere difficile eſt. 59
Mediocritatis laus. 57. *& ſeq.*
Menandri de præduris interpretibus dictum. 20
Menelai apud Libanium dictum. 163
Mercenarii teſtes qui dicantur. 84
Mercenarius opponitur gratuito, & quis dicatur. *ibid.*

Mimi

Mimi Publiani dictum. 68
Modus quid ſit. 151
Mos veterum de reponendis in ſana pecuniis. 161
Multa ſunt quæ non poſſunt certa lege comprehendi. 27
Multum intereſt an quis propoſito delinquat, an vero caſu. 93

N

NEmo caſus fortuitos præſtare poteſt. 105
Nihil aut durius, aut remiſſius agendum. 58. & ſeq.
Nihil tam certum quod propter circumſtantias non varietur. 151
Nimium, & parum duo vitia. 63
Non poteſt conſervari hominum cognatio, niſi adverſus injurias tuti ſimus. 140
Non pro arbitrio Judex moderatur æquitatem. 111
Non temere de hominis vita, famave ſtatuendum. 53
Nunquam optime imperabit, qui non ſervivit. 160
Nuptiarum fœdera interventu ignis, & aquæ celebrabantur apud veteres. 107

O

OFficii judicis vera diviſio. 47
Officium judicis quid ſit. ibid.
Officium judicis mercenarium quid. 48
Officium judicis nobile quid. 47
Officium judicis quod olim fuerit, et quod hodie. 47. & ſeq.
Omnis poteſtas, & legitimus magiſtratus a Deo eſt. 159
Oppoſita ſunt clementia, & ſeveritas. 64
Origo pœnarum unde. 106. & ſeq.
Ovidii carmina de tempore. 164

Paren-

P

PArentes præceptores antecellunt. 152
Penitus iniqua conſuetudo quid. 13
Perfectum quid dicatur. 9. & ſeq.
Perſonarum differentia magnam adfert & in contractibus, & in delictis varietatem. 156
Perſuadere quid ex Ulpiano. 150
Perturbationes ab Ariſtotele quomodo vocentur. 100
Phalæcus Phocenſium ductor furti inſimulatus. 162
Phanaticorum hominum inſania communionem rerum omnium affirmantium. 136
Plagiarii præceptores ad agnatos relegandi. 153
Platonis dictum. 155
Pœna latronum. 95
Pœna latronum varie mutata eſt. ibid.
Pœna liberorum, & libertorum in jus parentes, vel patronos vocantium. 83. & ſeq.
Pœna talionis. 140
Pœna talionis, ut etiam inſcriptio ſublata. 67. & ſeq.
Pœnarum ſimilis cauſa. 140
Pœnæ a legitimo magiſtratu irrogatæ ex natura ſunt. 106
Pœnæ definitio ex Ulpiano. 113
Pœnæ odioſæ itaque nec habere locum debent, niſi in caſibus a jure expreſſis. 74
Pomponii Attici laus ex Cicerone. 54
Poteſtas civilis a Deo eſt. ibid.
Poteſtas quando inſtituta. ibid.
Poteſtas quare reverenda. 55
Pravis inter pravos amicitia eſt. 97
Prædicamentum quid. 123
Præſumpta domini voluntas, quæ dicatur. 94
Prætores quo numero judicum habendi ſint. 42
Prævaricator propoſito delinquit. 93

Pri-

Primus impetus hominem perterrefacit. 91. & ſeq.
Privata vindicta evitanda. 152
Privata vindicta excitat bella, & diſſenſiones. ibid.
Pro minimis delictis pœna exacerbanda non eſt. 50. & 167
Propoſito aliquid agere, quomodo accipiendum. 91
Propoſito aliquid agentis pœna. ibid.
Propoſito latrones delinquunt. 94
Propter loci religionem, & militarem diſciplinam olim infligebatur capitis pœna pro furto. 80
Propter reipublicæ, & multitudinis ſalutem ſæpe pœnæ delictorum remittuntur. 113
Pythagoræ admonitio. 66

Q

Quædam ſunt res communes, quæ furtum non admittunt. 137
Quæ edulia accipere poſſunt judices. 116
Quælibet hominis opinio non pro æquitate eſt recipienda. 26
Quævis natio peculiares puniendi ritus habet. 106
Qualitas a Philoſophis trifariam dividitur. 166
Qualitas quid ſit. ibid.
Qualiter cum telo ambulare permittatur. 169
Quando Judex æquitate uti debeat. 111. & ſeq.
Quantitas duplex ſecundum Philoſophos. 166
Quantitatis nova diviſio ex mente Juriſconſultorum. ibid.
Quemadmodum ab omnibus non ſimiliter peccatur, ita nec omnes æque puniri debent. 73
Qui ſub doli verbis alicui injuriam adfert, etiam actione injuriarum tenetur. 141
Quibus caſibus hominem citra legitimum judicium occidere quis poſſit. 168

Quicquid ab æquitate eſt alienum iniquum eſt. 73. & ſeq.
Quinti Fabii Maximi egregium dictum. 112
Quinti Mutii reſponſum. 13
Quintilianus reprehenſus in ſimilitudine prædicamentorum, & circumſtantiarum, tum quid inter ſe differant. 122. & ſeq.
Quomodo quis invitus bonum facit. 93

R

RAbulæ forenſes. 95
Ratio duplex. 26
Regum eſt clementes eſſe ex Seneca. 65
Rei capitalis damnatus, quis intelligatur. 106
Rejecta Platonis opinio de communione. 137
Religio unde dicatur. 112
Reliqui nil eſt paci, communione permiſſa. 138
Rerum, & cauſarum maximum eſt diſcrimen. 70
Rerum omnium communio pugnat cum natura. 137
Res, & cauſa quid poſtulet, melius ſciri non poteſt, quam ex circumſtantiis. 69
Reſpublica præmio, & pœna continetur ex Solone. 61
Reſtituere quid ſit. 22
Rodolphus Agricola. 164

S

SAcrilegium triplex ex Ulpiano. 162
Sacrilegorum pœna. ibid.
Sæpius in cauſis capitalibus decidendis conſultandum, & quare. 66
Scriptum non punitur, ſed hominis nequiter ſcribentis factum. 134
Senecæ carmina de amore patrum in filios. 154
Senecæ dictum de clementia. 72
Sine impetu heroico nemo præclarus eſſe poteſt. 101

Societas non eſt dicenda inter improbos, & quomodo appelletur. 148
Socratis elegans ſententia. 149
Stoicorum, & Ciceronis opinio ab Horatio deriſa. 70. & ſeq.
Stoicorum rejecta ſententia. 70

T

Tempus quid. 165
Teſtes domeſtici, qui dicantur. 80
Theon ſophiſta. 168
Thucididis dictum. 170
Tribunitia poteſtas, quæ fuerit. 42
Tripliciter fiunt delicta. 89

V

Verbis tantum nonnunquam delinquitur. 140
Verbum facere, generale eſt, & quid illo contineatur. 133
Verus caſtigationis filiorum modus. 154
Veteres non leviter de capite alicujus decernebant ex ll. duodecim tabularum. 74
Virtutes ſimpliciter vicinæ vitiis. 63
Ultimum ſupplicium quale. 108
Voluntas triplex ex Ulpiano. 94
Voluntate injuria, & recte facta ſunt definita. 93
Voluntatis ſpecies definiuntur. 94
Uxor pro furto levi a marito non accuſatur criminaliter. 81

Finis Indicis.

605411
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III. NAPOLI

EMINENTISS. SIGNORE

SIGNORE

DOmenico Terres pubblico negoziante di libri di queſta Città proſtrato a piedi dell' Em. V. umilmente la ſupplica, come volendo dare alle ſtampe il ſeguente libro: *Jo: Rogeraii Trochæi J. C. de officio Judicis in cauſis capitalibus ex bono, & æquo decidendis liber ſingularis ad Leges*; Pertanto ſupplica l' Em. V. degnarſi ordinarne la reviſione a chi meglio ſtima; E l' avrà a grazia &c.

Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Dominus D. Joſeph Loffredus Can. Diaconus Cardinalis hujus Metrop. U. J. D. & Sacræ Theol. Profeſſor, cauſarum in Curia Archiep. ordin. Judex revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 21. *Aprilis* 1774.

J. SPARANUS CAN. DEP.

Quia impeditus ob infirmitatem ſupradictus Reviſor; ad Dominum D. Salvatorem Rogerium, ut revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 26. *Maii* 1774.

J. J. EPISC. THEAN. VIC. GEN.

J. SPARANUS CAN. DEP.

JOannis Rogeraij Trochæi, qui inter Pariſienſes Jureconſultos abhinc duobus ſeculis floruit, de Judicis officio in cauſſis capitalibus ſingularem librum, eique adnexam Anonymi non indoctam Epiſtolam, pro eo ac par eſt attentis oculis perlegi; neque quidquam deprehendi, quod Catholicis dogmatis, aut morum honeſtati adverſetur. Ea igitur in publicam lucem emitti poſſe cenſeo, dummodo Em. Tuæ auctoritas acceſſerit. Datum III. Id. Jun. 1774.

Em. Tuæ

Addictiſſ. atque Obſequentiſſ.
Salvator Rogerius.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum die 13. *Junii* 1774.

J. J. EPISC. THEAN. VIC. GEN.

J. SPARANUS CAN. DEP.

S.R.M.

S. R. M.

Signore

DOmenico Terres pubblico negoziante di libri di queſta fedeliſſima Città proſtrato al Real Trono di V. M. umilmente la ſupplica, come volendo dare alle ſtampe il ſeguente libro : *Jo: Rogeraii Trochæi Pariſienſis J.C. de Officio Judicis in cauſis capitalibus ex bono, & æquo decidendis liber ſingularis ad Leges, & alter de Differentia Judiciorum bonæ fidei, & ſtricti juris liber ſingularis*. Pertanto ſupplica la M. V. degnarſi ordinarne la reviſione a chi meglio ſtima ; E l'avrà a grazia &c.

Mag. U.J.D. D. Dominicus Mangieri in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius revideat, & in ſcriptis referat. Dat. Neap. die menſis Octobris 1773.

NIC. EPISC. PUT. CAP. MAJ.

S. R. M.

Signore

MI ha comandato V. M. ch' eſaminato io aveſſi un libro, che deſidera riſtampare il pubblico negoziante di libri di queſta voſtra Città D. Domenico Terres, ed aveſſi ſu di ciò riferito. Il libro fu la prima volta dato alla luce in Lione fin dall' anno 1550. dal ſuo Autore Giovanni Rogerai Trocheo Giureconſulto Parigino, e contiene un dotto comento, che fa l' Autore ſecondo il guſto di quel ſecolo ſopra due Frammenti de' Giureconſulti Romani regiſtrati nelle Pandette di Giuſtiniano Imperadore ſotto il titolo *de Pœnis*, di cui il primo è di Marciano; ed incomincia *Perſpiciendum eſt*, e l'altro, che incomincia *Aut facta*, ſi attribuiſce a Saturnino. In entrambi ſpiegaſi in parte l' officio del Giudice ne' giudizj criminali, e ſpecialmente nello ſtabilire ſecondo i delitti le pene a' delinguenti. Queſti, e ſimili altri Frammenti, che in ſe racchiudono un ammirabile ſaggio della ſaviezza di quegli antichi Giureconſulti, e Filoſofi, dovrebbe ogni buono e religioſo Giudice ſempre meditare, affinchè nell' eſer-

eſercizio della ſua carica unicamente abbia in mira il bene della Società, e non affetti per propria paſſione la gloria di ſeverità, o di clemenza. Si premette a queſto libro una diſſertazione ſcritta in modo di lettera nell'italiana favella da un Anonimo, che come dalla medeſima rilevaſi, è un valentuomo, che ha eſercitato nelle Provincie di queſto voſtro Regno, ed ora eſercita in queſta voſtra Capitale l'officio di Giudice Criminale. Egli dà alcuni brevi ſaggi, ma giudizioſi di una ſoda Giuriſprudenza Criminale, e ci paleſa oltre degli abuſi il più difficile, che s'incontra nell'eſercizio de' giudizj criminali, ſecondo i lumi di una Teoria ragionata, e confermata da lunga eſperienza e pratica di giudicare: quali ſaggi mi ſembrano così ſenſati, che vagliono aſſai più di tutti que' ſiſtemi aſtratti foggiati da alcuni moderni Filoſofi ſu i delitti, e le pene. In tutto non vi ho riſcontrata coſa, che offenda i voſtri Supremi Dritti: onde ſon di parere, che ſe ne poſſa permettere la pubblicazione. Napoli 18. Novembre 1773.

Divotiſſ. e Fedeliſſ. Vaſſallo
Domenico Mangieri.

Die 16. menſis Junii 1774.
Viſo reſcripto Suæ Regalis Majeſtatis ſub die 28. elapſi menſis Maii, currentis anni, ac relatione U.J. D. D. Dominici Mangieri, de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque manda., quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Prdgm. Hoc ſuum.
SALOMONIUS.

Vidit Fiſcus Reg. Coronæ.

Ill. Marchio Citus Præſes S.R.C. tempore ſubſcriptionis impeditus, ceteri Ill. Aularum Præfecti non interfuerunt.

Athanaſius.

Reg.
Carulli.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google